STATVTA
ET
PROVISIONES
DVCALES
RAE CONEGLANI

dditione Tertij Libri Constitutionum, &
Litterarum Ducalium, &

& Indice omnium rerum, & materiarum contentarum in volumine.

SVPERIORVM PERMISSV.



CONEGLANI

Ex Typographia Marci de Claseris.
Anno Domini MDCX.

ILLVSTRISSIMO

ARCO MAGNO

NEGLANI PRAETORI,

Præfectoque meritissimo.





INA quidem res est lex, vel saltem diuino lumine cōflata, cum per eam non humana modò, sed diuina etiam summa regantur æquitate, & Paulus diuinorum numinum explorator ei obtemperandum censeat. Quapropter cum Consilio nostro generali, cuius studium cōmuni vtilitati fauere fuit semper, & erit, ius hoc nostrum municipale imprimendi iam animus esset, idque opus, vti diuinum, magnum pariter videretur, in ipso tui Regiminis primordio circunspectanti, cui nostra repurgatum opera (delegerat enim nos ad hoc, harumque legum impressioni præfecerat) potissimum dicaret, nemo præstantissime Marce aptior te, qui nomine, & factis Magnus magna loqueris, & magna facis, occurrere poterat: cum præsertim prudentiæ laudis, & morum probitatis Bartholomæi aui tui, & optimè meriti Prætoris nostri memor esset, inque certam spem adductum, vt tu illius virtutum fidelis hæres, hoc idē prætorium munus, qua quidem vsus es, prudentia, fide, & æquitate esses præstaturus. Desponsum tibi igitur opus hoc, quod tanto tempore pessimè habitum, nunc verò Deo Optimo Maximo fa-

A uente

uente dilucidius, & correctius in lucem exit, tuo Magno nomini eiusdem Consilij nomine dicamus, & consacramus. Tu benigna mente, hilarique vultu opus diuinum, tuique nominis magnitudine insignitum accipias, auspicijsque tuis fœlicibus protegas, & nos omnes, quemadmodum omni adhuc studio, gratia, & fauore præsens complexus es, pro ea, quæ est in te humanitate, & absens complecti pergas.

Coneglani idibus Iunij M D C I X.

Latinus de
Fabius, & I



PRÆFATIO IN VOLVMEN STATVTORVM CONEGLANI.





IVO EGO LEX VESTRA Municipalis, o Ciues, è tenebris prodij, Cæsarem nostrum pientissimum Augustinum Barbadicum supplex, & orans adiui, nephariorum hominum, qui me stuprarunt scelera narraui, vtriusque nostrum miseratus Cæsar ad vos me confirmatam, authenticam, transcribendamque remisit, quò vos Ciues beatius, & fœlicius vitam geratis, & vos ipsos custodiatis. Instauratorem nacta sum, quo præstantior nemo, Christophorum Duodum Venetum Patricium & Prætorem vestrum iustissimum, cuius mens est (mihi credite) vos alere, custodire, & conseruare. Diuisa sum in quatuor codices. Primus concionem generalem, officia, & vrbis magistratus amplectitur. Secundus causas ciuiles continet. Tertius vltimas quasque voluntates annectit. Quartus, & vltimus in criminum vltionem, & causas extraordinarias definit. Sum ne lex vestra municipalis, quam impia manus abstulerat, o Ciues? Es etenim. Me colere, obseruare, & custodire curabitis? Curabimus.

bimus. Iuratis ne? Iuramus. Si quis me violauerit, dehonestaueritque piaculum esto. Tuque, Prætor mitissime, da fidem in hæc vota; accipe fidem ad tua iussa, enitere, vt Ciues me diligant, concordes sint, iustitiam colant, fidemque struant. Gratias tibi, Pater summe, vobisque, patrij penates Diue Marce, ac pater Leonarde, ago, & habeo, quòd Prætorem, & Ciues, ad pia sanctaque uota pronos, deuotos, iuratosque conspicio, eosque ut protegatis, oro, atq; etiam oro. Valete, Prætor, & Ciues, & me ac inuenta plaudite.

Lex ista Municipalis Communis Coneglani Sacri neti consulto ad suum robur, & firmitatem redact Anno MCCCCLXXXVIII. sub die ultimo Ma



STATVTORVM CONEGLANI

LIBER PRIMVS.

De concione generali, Officijs, & Magiſtratibus vrbis.

AVGVSTINVS Barbadico, Dei gratia, Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & ſapientibus viris Chriſtophoro Duodo de ſuo mãdato Poteſtati Coneglani, & ſucceſſoribus ſuis fidelib. dilectis ſaluté, & dilectionem. Intelleximus quantum nobis ſcripſiſtis, & Sp: D. Ni... ...ono Orator iſtius fidelisſimæ Cõitatis noſtræ nobis ...exemplum Statutorum Cõitatis ipſius, quod publi... ...ebatur inſpiciendum, & legendum, quod quidem ... & occultatum, quare miſiſtis ad nos authenticum ...m ipſorum, quod ſimile eſt in omnibus illi amiſſo ...i & uos dicitis, & ex plurium aliorum fide digno... ...one comperimus. Id autem ex uetere loci iſtius no... ...tudine ſeruabatur in archiuo. Supplicauitq; nobis per ... ...m ſuum antedictum eadem fidelisſima Cõitas noſtra uelimus Statuta ipſa auctoritate noſtra confirmare. Moti ergo ea ſupplicatione uobis dicimus, quòd Statuta iã dicta per uos huc ad nos miſſa confirmauimus, cõfirmamusq; harum litterarum noſtrarum ui, & robore: ſeruatis tamen Dominio noſtro addendi, ac minuendi prout expediens uidebitur arbitrio, & libertate, & ne ſimilis caſus deinceps accidat, iubemus uobis, ut hoc exemplum, quod prius in occulto ſeruabatur, deinceps quoq; ſecreto loco reponatis, & cuſtodiendum diligenter curetis, ne depereat, faciatisq; ex hoc fieri nouum exemplum, quod, ne aufferri poſsit uinciri ac ligari faciatis catena bibliothecaria, ut omnes eo uti poſsint, & ſecurum à rapina, & furto ſit. Has autem ad futurorum memoriam regiſtrari facite in actis Cancellariæ ueſtræ.

Datum in noſtro Duc. Palatio die ultimo Maij 1488. Indict. vj.

De Consilio generali Terræ Coneglani, & eius arbitrio.



QVIA publicè expedit in Terra Coneglani esse certum ordinem personarum, per quem facta dicti communis possint commodius explicari. Idcirco præsenti Statuto decreuimus, quòd in Terra Coneglani sit, & esse debeat vnum maius & generale Consilium de septuaginta duobus ad plus de melioribus, & sufficiẽtiorib. hominibus dictæ Terræ, siue de Castro, siue de Burgo, vno dũtaxat pro domo, siue fumo, qui substineant onera, & factiones dicti [...] nis, qui Consiliarij teneantur, & debeant ad dictum C[...] domo cõis Castri venire postquam pulsabitur ad cam[...] sam communis, quæ consueuit pulsari pro dicto [...] vnius grossi pro quolibet, qui non venerit ad di[...] nisi tempore quo pulsabitur pro dicto Consilio [...] Coneglani per medium milleare, de quo cred[...] sius, vel nisi aliam iustam causam habuerit arb[...] Consulum. Et si contigerit aliquid in dicto [...] vel agitari, teneãtur Domini Consules antequa[...] ponendum, facere legi in scriptis per Cãcellariu[...] ctam propostam coram ipsis Consiliarijs, quo facto [...] mini Consules surgere debeant, si eis placuerit, in dicto C[...] proponere simpliciter coram eis sine aliqua coloratione, vel abbellimento, ita quòd ipsius dicentis voluntas detegi non possit super eo facto, de quo propositum fuerit, & Consilium petere super ipsa proposta. Postquam autem proposta facta fuerit, & petitum consilium per Dominos Consules super ea liceat cuilibet de Consilio prædicto surgere ad arengam, & consulere illud, quod sibi videbitur vtilius super dicta proposta. Quo facto prædicti Domini Consules ponant ad partitum dicta dictorum Cõsiliariorum ad bussulos, & ballotas. Et illud quod per maiorem partem obtentum fuerit Consiliariorum dicti Consilij in ipso existẽtium, plenam firmitatem obtineat, nisi tractaretur de alienatione, vel obligatione

gatione bonorum, vel de expendendo de hauere communis, quo casu duarum partium Consilij debeat interuenire consensus Consiliariorum existentium in dicto Consilio, quod Consilium debeat proclamari per vnum diem antequam fiat. Et intelligatur Consilium esse plenum si fuerint in dicto Cõsilio quadraginta Consiliarij ad minus, vel inde supra. Si verò tractaretur de constitutione alicuius Sindici communis exigatur consensus duarũ partium existentium in dicto Consilio, quæ verbo ipsum Sindicum ordinauerint. Cæterum si factũ illud, de quo proposta fieri contigerit, tangeret aliquem de dictis Consiliarijs, aut aliquem eius descendentem vel fratrem teneatur dictus Consiliarius, & omnes eius affines de prole sua, & alij parentes sui statim lecta proposta exire de dicto Consilio pœna soldorum viginti paruorum pro quolibet principali, & quinque soldorum pro quolibet alio de exceptuatis. Intelligantur parentes, fratres, matris, consanguinei, germani, soceri, & generi, & non intelligantur cognati, nisi viuẽtibus mulieribus. Præterea teneatur quilibet qui non fuerit de Consilio exire statim de consilio cum proposta per Cancellarium prædictum lecta fuerit pœna soldorum decem paruorum. Porrò non liceat alicui ex Cõsiliarijs postquam in dicto Consilio sederit mouere se de loco ad locum, vel aliquid dicere illi, qui surrexerit ad arengam ad consulendum dum stat in pedibus, seu aliquid dicere, vel consulere, nisi solum publicè ad arengam. Item non liceat alicui consulere, vel arengare extra propostam, vel consulere illud, quod alius dixerit, nisi adiungeret dicto illius pœna soldorum quinque paruorum in omnibus casibus supradictis. Postremò, si aliquis ex dictis Consiliarijs decesserit, Domini Consules filium, vel nepotem ex filio tantummodo descendentem, dummodo petitionem inscriptis porrigat, & approbetur sufficiens per maiorem partem Consilij, loco dicti defuncti subrogent. Dum tamen annorum ad minus fuerit uiginti. Alioquin cessantibus istis, si uidebitur generali Consilio, alium idoneum, & sufficientem posit ad eius libitum loco talis subrogare defuncti.

De iure reddendo per Dominos Consules.

ORdinamus nanque, quòd Consules quatuor prædicti teneantur bis in hebdomada, videlicet, diebus Lunæ, & Iouis sedere ad iura reddendum, & campanam Communis pulsari facere, vt moris est, Nihilominus etiam in quibuscunque alijs diebus septimanæ dummodo non feriatis possint, vt eis videbitur quoscunque audire, ac diffinitiuè proferre sententias. Qui quidem Consules habere debeant pro quolibet pro eorum salario dictorum trium mensium de introitibus Terræ Coneglani libras 25. paruorum.

De officio Ancianorum.

FIrmamus nanque, & volumus, quòd singulis saltem, Kalẽdis mensis, Consules antedicti teneantur, & debeant in Cancellaria communis Coneglani congregare Antianos antescriptos, quibus proponere debeant, & ab eis requirere si aliqua vident, aut cogitant agẽda pro bono, & vtilitate communis, & Terræ Coneglani, & quòd super ipsis consulant, & dicant videre suum, & si contigerit aliquid tractari pro bono communis in Consilio generali debeant dicti Consules antequam illa reducant ad dictum Consilium facere cõuocari ipsos Ancianos, vt superius dictum est, & illa proponere, & super eis ab ipsis Ancianis postulare consilium, & si obtentum fuerit ad bussulos, & balloras per maiorem partẽ eorum, & illud quod fuerit propositum esse vtile, & bonum communis, tunc immediatè Consules teneantur ad maius Consilium ipsa reducere & in eo ponere partitum dummodo illud super quo tractatur ponderosum fuerit: Anciani nanque prædicti simul cum dictis consulibus prouidere valeant, atq; possint super victualibus, & dare metã precijs victualium prædictorum secundum qualitatem rerum, & temporis, vt eis expedire videbitur, ac etiam prouidere valeant super custodia Terræ, & fortificatione, ac laborerijs quibuscunque communis fiendis: teneantur autem ipsi Anciani quotiscunque requisiti per Consules fuerint, aut campanam Ancianorum communis audierint siue de Castro, siue de Burgo se ad Cancellariam reducere

reducere coram ipsis Consulibus sub pœna soldorum trium paruorum pro quolibet contrafaciente, seu non veniente, & qualibet vice, iusto impedimento per dictos Consules approbato non interueniente.

De creatione, & officio Cancellarij.

INsuper ordinamus, quòd omni anno per quindecim dies ante Kalendas Februarij in maiori Consilio Terræ Coneglani eligatur de collegio Notariorũ Coneglani vnus sufficiẽs, & idoneus Notarius, atque legalis ad officium Cancellariæ communis, vel, si ipsi maiori Consilio videbitur, ipse Cancellarius, qui pro tẽpore fuerit sufficiẽs, & idoneus, possit de anno in annum, vt dictum est, approbari, & in eodem officio confirmari. Teneatur autem, & debeat ipse Cancellarius omnia, & singula instrumenta, & cõtractus ad Commune Coneglani pertinentia scribere, & publicare, & ipsa instrumenta, & contractus redigere, & registrare in vno libro de membranis, ita ꝙ inueniri possint quoties opus fuerit pro Cõi. Item teneatur, & debeat ipse Cãcellarius legere omnes propostas, quæ fient per Dominos Consules in Consilio generali dictæ Terræ, ac etiã propostas ipsas prouisiones, & reformationes ipsius Cõsilij infra quinque dies, postquam factæ fuerint, scribere, & notare in vno libro per se, qui liber stare debeat in camera Cancellariæ communis. Præterea teneatur idem Cancellarius registrare omnes, & singulas litteras tangentes facta communis, quæ per ipsum commune Coneglani mitterentur ad aliquas personas, uel loca, necnon teneatur etiam registrare omnes ambasciatas, & litteras, quæ pro parte alicuius communis, uel Domini, aut alicuius personæ transmittentur ad dictum commune: & si quid omissum fuerit per eum, condemnetur idem Cancellarius pro qualibet uice in soldis uiginti paruorum. Habere nanque debeat ipse Cancellarius pro suo salario dicti anni libras septuaginta duas paruorum, cui soluatur quolibet capite trium mensium, uti alijs officialibus, & teneatur, sub pœna prædicta, & uinculo sacramenti, legere officialibus de cætero per commune Coneglani eligendis statuta omnia

nia ad officium cuiuslibet officialis spectantia; non possitq; Cancellarius aliquis tempore sui officij eligi ad officia aliqua communis, nisi ad officia ordinaria ad quæ officiales per sortem in generali Consilio eliguntur.

De officio Militum.

ORdinamus, quòd singulis tribus mẽsibus in Consilio generali per scrutinium eligantur duo sufficientes, & legales viri de Consilio Coneglani ad officium militiæ, & custodiæ Terræ apti, qui teneantur vinculo sacramenti quæcunq; sibi per Consules cõmissa benè, solicitè, & fideliter exercere, & diligenter omni fraude remota perquirere die, noctuque per Terram, & Burgos Coneglani de omnibus, & singulis ludentibus ad aliquod ludum vetitum, & de receptatoribus eorum, & mutuãtibus ad dictum ludum, excepto quã sub logiis Castri, & Burghi, sub quibus possit impune ludi. Ac etiam inquirere diligenter teneãtur de bannitis communis Coneglani, illos pro posse reducendo in forciam Dominorum Consulum, & saltem bis in mense associato sibi vno iurato iustitiæ communis, & Notario, & exinde pluries quotiẽs sibi videbitur soli, uel sociati tentare, & inquirere per Terram, & Burgos Coneglani de omnibus artificibus, & apothecarijs, seu merzarijs vendentib res aliquas, seu mercimonia ad pondus, vel mensuram, vtrum habeant rectas, & iustas mensuras, & pondera coequata ad pondus, vel mensuram communis, & an rectè, & legaliter ponderent, & mensurent dictas merces, seu res, & an dicti artifices, seu apothecarij, vel merzarij in eorum artibus, seu misterijs dolum, vel fraudem committant. Item teneantur dicti milites, seu alter eorum cum vno ex Iuratis, qui deputati fuerint per curiam Ancianorum, diligenter, & rectè æstimare, & pretium ponere carnibus manzinis, & bouinis, atque porcinis, quæ interficientur, & vendentur ad macellum, prius inquirendo cautè omni modo, si ipsa animalia interfecta sana erunt, sique ipsa sana non reperirent eisdem nullum precium imponant, sed potius de presenti extra macellum faciant asportari, & generaliter circa custodiam Terræ die, noctuque, & circa quæcunq;

eis

eis per Dominos Consules commissa fuerint, diligenter vigilent, atque faciant, habeant pro quolibet in mense pro eorum salario libras octo paruorum.

De electione Procuratoris Communis, & eius officio.

STatuimus nanque, quod singulis tribus mensibus quando creantur Consules, & alij officiales Communis, per scrutinium in generali Consilio eligatur vnus sufficiens homo de Castro ad officium procuratiæ Communis, qui sub pœna librarum quinque paruorum non possit officium alicui alteri concedere, nisi interueniente legitima, & manifesta causa per Consules, & Ancianos approbata; qui Procurator teneatur, & debeat vinculo sacramenti diligenter omni sorde, & fraude remota inquirere si aliqua persona habuerit, tenuerit, vel occupauerit aliqua bona, vel iura mobilia, vel immobilia spectantia, vel pertinentia ad commune Coneglani, & si quid sciuerit, vel inuenerit haberi, vel occupatum teneri de bonis, vel iuribus dicti communis illud sine omni mora denuntiare teneatur Dominis Consulibus Coneglani, & dare operam pro posse, quòd illud quod sic acceptum, seu occupatum fuerit, recuperetur ex toto, & ab eorum manus liberè reuertatur. Item teneatur dictus Procurator omni studio procurare, ac cum effectu operam dare, quòd omnes & singulæ stratæ, seu viæ, pontes, & porticus existentes in Terra Coneglani, vel extra Terram vsque ad vnum milliare curentur, & curatæ omnimodè teneantur à ledamine, luto, & omni immunditia. Item teneatur, & debeat dictus procurator, si contigerit aliquem occupare de publicis cómunis in Terra Coneglani, vel extra infra unum milliare, uel controuersiam esse inter dictum commune Coneglani, & aliud commune villæ, uel loci, uel aliquam priuatam personam de Terra, & Territorio, seu de termino, vel de finibus alicuius rei statim illud denunciare Consulibus, & dare operam efficacem, quod illud publicum decernatur à publico alterius communis, vel priuati secundum formam statutorum communis Coneglani: teneatur etiam ipse Procurator quandocunque contigerit generale Consilium, vel

uel curias Ancianorum adunari, atque Consulum, adesse in ipsis Consilijs, & curijs, & super qualibet proposta in ipsis Consilijs, uel curijs facta consulere, & arengare negatiuam, maximè ubi tractaretur, uel proponeretur de aliqua remissione facienda alicui debitori Communis Coneglani, uel aliqua donatione, seu alienatione de bonis dicti Communis, & generaliter teneatur idem procurator fideliter procurare, inquirere, & tractare omnia, & singula, quæ uiderit, & crediderit expedire pro dicti Communis bono, & utilitate, & si dictus Procurator prædicta, uel eorum aliquod neglexerit, vel ommiserit, condẽnetur in amissione sui salarij, & nihilominus teneatur suum officium exercere. Si verò dolũ, vel fraudem in dicto eius officio commiserit, debeant Consules eum punire, & condemnare usque ad quantitatem xxv. librarum paruorum inspecta qualitate delicti, & dictus Procurator, & eius Notarius creandus per collegium Notariorum habeant pro eorum salario libras quatuor paruorum pro quolibet in dictis tribus mensibus; & omnia, & singula, quæ dicta sunt de Procuratore, eadem intelligantur de eius Notario, & si voluerit possit ipsum suum officium refutare per dies quinque antequam suum officium intret, & vltra dictum salarium habere debeat dictus Procurator, & eius Notarius dimidiam partem condẽnationum, & bannorum, quæ per Dominos Cõsules Coneglani fient occasione officij dicti Procuratoris.

De electione, officio Massariorum.

ORdinamus, quòd singulis tribus mensibus eligantur duo boni, & sufficientes homines, vnus de Castro, & vnus de Burgo, qui sciant legere, & scribere ad officium Massariæ communis per scrutinium in generali Consilio, qui Massarij antequam capiãt de bonis communis idoneam præstent cautionem fideliter saluare hauere communis, & omne quod ad eorum manus peruenerit de bonis communis, & finitis tribus mensibus rectam reddere rationem administrationis suæ in curijs Consulum, & Ancianorum scribendo vterque eorũ in vno quaterno per se in consonantia, & omne quod eis supererit finito eorum officio de præsenti suis succes-

so-

scribus consignare. Item teneantur omnes quantitates pecuniæ quomodocunque debendas communi recipere, & exigere pro utilitate dicti Communis, nec liceat eis pecuniam Communis, seu partem aliquam expendere, nec alicui dare nisi cum licentia Consulũ, nec liceat eis de pecunia dicti Communis mutuare alicui personæ, nec ea pro seipsis uti, sed eam paratam continuò teneri, ut quotiens pro Communi opus fuerit dare possint, & debeant sine vlla mora, & qui eorum contrafecerit, cõdemnetur pro qualibet uice in quinque libris paruorum, uel in minori quãtitate pecuniæ inspecta qualitate facti, possintque dicti Massarij pro qualibet bulletta accipere ab eo, qui illam dederit soldum unum paruorum; & pro cancellatura cuiuscunque condemnationis à libris decem infra soldum vnum paruum vnum, & si fuerit condemnatio librarum decem, vel vltra soldos duos paruorum, & non vltra vllo modo sub pęna soldorum viginti pro qualibet vice, & quotiens per eos, vel alterum eorũ fuerit contrafactum, & non possint aliquid accipere ab aliquibus officialibus communis soluẽtibus propriam pecuniam Communis, & habeãt dicti Massarij pro eorum salario pro quolibet, libras duodecim soldos decem paruorum in dictis tribus mensibus, & non possint Massarij electi suum officium alteri vllo modo consentire, sed refutare valeant.

De electione, & officio æstimatorum.

Singulis tribus mensibus eligãtur duo æstimatores, vnus de Castro, & alter de Burgo Coneglani in Consilio generali Cõmunis per breuia, seu sortem in præsentia Consulum, & quia sunt aliquæ copulæ aliquorum nuperrimè in Consilio receptorum, in quibus non est aliquis de Castro, & ipsi ad dictum officium currere debeant, vt aliæ copulæ, & cum alijs sortiri, non obstante, quòd in eisdem copulis nullus sit de Castro, qui æstimatores teneantur, & debeant quandocunque contigerit aliquam possessionem immobilem adiudicari insolutum alicui personæ, vel pro pignore designa

ti

vel fieri per Communia Villarum, & homines, ad quos dictũ opus de iure spectabit, uel consuetudine, ita quòd aquarũ cursus impediri non posit, & generaliter teneantur, & debeant omnia singula facere, quæ ad ipsum officium de iure spectare, & usu cõsueuerint, seu spectabunt in posterum. Cæterum, si contigerit, dictos publicatores uigore dicti eorum officij facere aliquam inquisitionem, uel processum contra Communia aliquarum Villarum, seu contra aliquas personas singulares, teneātur dictas inquisitiones, & processus per eos factos ante finem dicti eorum officij dictis Dominis Consulibus designare, & per se nullam condemnationem, uel exactionem facere, sed super eisdem inquisitione, uel processu procedatur per dictos Dominos Consules secundum quod de iure fuerit procedendum; &, si ipsi publicatores prædicta spectantia ad dictum officium, vel prædictorum aliquid facere neglexerint, puniātur pro quolibet, & qualibet vice in soldis quadraginta paruorũ, & habeant vnum Notarium sibi dandum per collegium Notariorum, qui scripturas necessarias, seu processus scribere teneatur, faciendo sibi solui de suis scripturis per illos, contra quos fuerit in aliquo processum. Verùm, vt dicti publicatores causam habeant dictum suum officiũ diligenter exercere, habeant pro suo salario singulis tribus mensibus pro quolibet eorum libras tres paruorum de denarijs Cõis. Et, si occasione processuum, quos faciēt ipsi publicatores per Dominos Consules aliquæ fient condemnationes, ipsi publicatores habeant medietatem ipsarum, & reliqua medietas sit Communis. Siquedicti publicatores, vel alter eorum per personam aliquam specialem, vel Commune alicuius Villæ, cuius intersit, requisiti fuerint ad eundum ad aliquam Villam pro aptatione alicuius viæ, stratæ, callis, siue pontis teneatur illa specialis persona, seu Commune, quæ, & quod requisiuerit eis publicatoribus equos suis expensis inuenire.

De creatione, & officio æstimatorum damnorum possessionum.

ORdinamus, quod singulis tribus mensibus per vltrascriptũ modum de electione æstimatorum possessionum designatarum pro pignore, eligantur per sortem duo æstimatores dãnorũ possessionũ illatorum per conductores colonos, siue inquilinos habentes domos, hortos, seu terras, vel possessiones aliquas ad affictum, siue liuellũ, vel ad partem quoquomodo in dictis domibus, hortis, terris, siue possessione. Qui quidem æstimatores vinculo sacramenti quotiescunq; per personam aliquam fuerint requisiti, vt vadant ad æstimandum damna aliqua illata in possessionibus antedictis per aliquos conductores, siue colonos illuc immediatè ad dictæ personæ requisitionem ire debeant, & diligenter audita vtraque parte, & habita matura deliberatione, bona fide, & omni fraude remota, damnum sic illatum æstimare debeant, & ipsam æstimationem ad Dominorum Consulum reducere notitiam, & eam in actis curiæ per Notarium maleficiorum annotari facere, & teneantur prædicti Consules iuxta æstimationem per dictos ęstimatores factam, illum, qui sic damnum intulerit, in omnibus expensis condemnare. Verùm prædicti æstimatores, si in Terra, vel Burgis Coneglani damnum illatũ fuerit, habere debeant pro eorum salario soldos quatuor paruorum pro quolibet, si què extra Terram per tria milliaria, habere debeant soldos octo paruorum pro quolibet, & si vltra tria milliaria extra terram Coneglani vbicunq;, tunc habere debeant pro quolibet soldos decem paruorum. Et per requirentes eos ad dictum officium exercendum, equi præstentur, & immediatè fiat per eosdem dictis æstimatoribus prædicta solutio, vt superius est dictum, in quibus omnibus denarijs, & expensis Reus debeat exinde condemnari.

De creatione, & officio Publicatorum super plaustra, & opera Communis.

STatuimus, quòd singulis tribus mensibus per modum superius descriptum de creatione æstimatorũ possessionum pro pignore designatarum eligantur per sortem duo Publicatores super publica, & opera Communis occurrentia. Qui quidem Publicatores quotiescunque eis per Dominos Cõsules mandatum fuerit, quòd pro bono, & vtilitate Cõis reperiantur plaustra, seu operarij necessarij pro aliquo opere, siue laborerio, vel vtilitate Cõis debeant, & teneantur habere vnum quaternum, in quo sint scriptæ omnes Regulæ Villarum districtus Coneglani, & quot plaustra, ac quot operarios mittere debeat quæq; Regula quotiescunq; erit necesse pro Cõi, quam taxationem Villarum corrigere, & emendare secundũ temporum qualitates debeat curia Dominorum Cõsulum, & Ancianorum, & solicitè sine mora, tàm de die, quàm de nocte cũ opus fuerit, & eis mãdatum, vt supra procurare, vt veniant ipsi operarij cum personis, aut plaustris, vel alijs rebus necessarijs pro Cõi, incipiendo ab vno capite Villarum, & procedendo vsque ad finem ordinatè, ita, quòd nullum Commune ipsarum Villarum vnum plus altero grauetur in aliquo, & teneantur ipsi publicatores, cum suum officium compleuerint, dictum quaternum nouis officialibus designare, & eis ostendere, quibus Regulis Villarũ tunc sequetur operarios, ac plaustra, vel alias res Cõi necessarias mittere, prout occurret, vel possit in posterum occurrere secundum temporum qualitates: habeant autem ipsi publicatores Cõis pro suo salario dictorũ trium mensium pro quolibet libras quinque paruorum de denarijs Communis, &, si ipsi officiales fraudem aliquam committerent in decipiendo Cõe aliquod Villarum, uel personam specialem, aut alleuiarent Commune, vel personam aliquam de publico, vel opere sibi tangente, vel tributum aliquod ab aliquo reciperent, condemnentur pro quolibet, & qualibet vice contrafacientes in libris quinque paruorum, & priuentur officio suo, cuius pœnæ medietas sit Communis, reliqua accusatoris, si per eum veritas habeatur.

De creatione, & officio officialium plaustrorum mercimonij.

STatuimus etiam, quòd singulo mense in curia Consulum, & Ancianorum per modum, vt dictum est, in capitulo electionis æstimatorum possessionum, seu in maiori Consilio, prout casus acciderit, eligantur per sortem duo officiales super plaustra mercimonij, qui diligenter, & solicitè omni fraude remota quotiescunque per mercatores aliquos, uel eorum nuntios fuerint requisiti ad reperiendum plaustra aliqua pro eorum mercimonijs, teneantur subito, & de præsenti pro ueloci expeditione mercatorum illa plaustra requisita reperire per modum rotuli Regularum, & Villarum districtus Coneglani, uel per alium modum specialium personarũ uti eis ordinatum fuerit per Dominos Consules iuxta conditionẽ & temporum qualitatem, & pro posse suo solicitare expeditionem ipsorum mercatorũ, & mercimonij, & teneantur ipsi officiales fieri facere solutiones per mercatores ipsis carriatoribus secundum taxationes fiendas pro qualitate tẽporis per ipsos Dominos Consules, & secundum grauitatem, & pondus carrezi, & mercimonij prædicti, & semper personaliter adesse solutioni dictorum carriatorum, ita ut nullus mercator damnum aliquod, seu fraudem patiatur, habeantque ipsi officiales in toto pro quolibet plaustro pro suo labore soldos duos paruorum, vnum videlicet de denarijs mercatoris, & reliquum de salario, siue precio carriatorum, & non possint ipsi officiales vltra dictos soldos duos paruorum modo aliquo aliquid recipere, nec fraudem aliquam in damnum dictorum mercatorum, nec etiam carriatorum committere sub pœna librarum quinque paruorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, cuius pœnæ medietas sit Communis, & reliqua accusatoris, si accusator erit per quem ueritas habeatur. Insuper non possit persona aliqua terrigena, nec forensis onerare super plaustris mercimonia aliqua, nec illa conducere extra districtum, nisi illi quos reperierint dicti officiales, excepto quòd quilibet emens in Coneglano, vel districtu vinum, aut bladum, vel alia mercimonia possit

sit sibi plaustra, & carrigiatores ad eius libitũ reperire, quod etiam posse facere volumus omnes personas habitantes in Serrauallo, uel districtu, & comitatibus Dominorum Comitum de Collalto, vel in Ceneta, quibus omnibus sine vlla solutione fiẽda dictis officialibus sit licitum etiam aliunde mercimonia aliqua conducentibus sibi vndecunque plaustra reperire. Non possint autem ipsi officiales dictum eorum officium consentire alicui hospiti de Terra, vel Burgis Coneglani sub pœna prædicta: immò nec etiam alteri personę consentire valeant, nec suo nomine facere exerceri, nisi illa persona per Dominos Consules fuerit sufficiens approbata, atque legalis, cui postea dicti Domini Cõsules de rectè dictum officium exercendo præstari faciant sacramentum.

De officio Iuratorum Iustitiæ.

ORdinamus, quòd singulis tribus mensibus eligantur in Cõsilio generali duo Iurati Iustitiæ de Terra Coneglani, quæ electio per sortem fieri debeat in præsentia Dominorũ Consulum secundum ordinem rotulorum, in quibus scripti sunt currẽtes ad dictum officium, qui Iurati vinculo sacramẽti sub pœna soldorum centum paruorum teneantur, & debeant infra quindecim dies ab introitu eorum officij, facere proclamari in locis consuetis Terræ Coneglani ꝙ qlibet marzarius, stationarius, vel publicus mercator vendens in Terra Coneglani, vel districtu res aliquas ad pondus, siue mensuram debeat portare, seu portari facere ad domos ipsorum Iuratorum calueas, cõzolos, situlas, phialas, & passus, & alias mensuras quascũque exercent, & illas mensuras adiustari, & coęquari faciant ad mensuras Communis, habeantque ipsi Iurati pro eorum labore, pro bulla quam posuerint super conzolis, & calueis soldum vnum paruorum, & pro bulla, quam posuerint super situlis, phialis, & passibus, vel alijs paruis mensuris paruos sex, siue ipsas mensuras iuxtas reperierint, siue de nouo adiustari, vel coęquari ad mensuram Communis esset necesse, & teneantur ipsi Iurati quotiescunque per aliquas fuerint requisiti ad mensurandum

vinum, aut oleum de præſenti ire ad menſurandum dictum vinum aut oleum, & pro labore ſuo habere debeant pro qualibet vrna vini paruos quatuor, duos videlicet ab emente, reliquos à vẽdente, & pro quolibet merio olei paruum vnum, & pro ſagomatione cuiuslibet vaſis ſi à duabus vrnis infra ſoldum vnũ paruorum, & abinde ſupra ſoldos duos paruorum. Inſuper ordinamus, quòd Iurati, qui current ad dictum officium iurariæ pro menſibus Februarij, Martij, & Aprilis ultra ea, quæ continentur in proclamatione prędicta addant in proclamatione, quam fieri facient, quod ultra ipſos merzarios, ſtationarios, & publicos mercatores, etiam ſingulæ perſonæ habentes in domo tàm in Terra, & Burgis Coneglani, quàm etiam in villis, & diſtrictu Coneglani calueas, conzolos, uel alias menſuras illas etiam portent ad ipſorum Iuratorum domus, & adiuſtari, & coæquari faciant, ut eſt dictum, & ſi ipſi ſtationarij, aut merzarij, uel perſona alia aliqua contrafecerit, & mẽſuras ſuas adiuſtari non fecerit, & cum eis res aliquas ement, ſiue uendent, cõdemnentur contrafacientes pro qualibet uice, qua emerit, uel uendiderit cum ipſis menſuris non bullatis bulla Communis per modum ſupraſcriptum in ſoldis uiginti, cuius pœnæ medietas ſit Cõmunis, & reliqua accuſatoris.

De electione, & officio Juratorum Stateriæ.

SIngulis menſibus ſex per Dominos Conſules, & Ancianos eliganturunus ſufficieus, & bonus Iuratus ſtateriæ, qui Iuratus teneatur ſingulis diebus, quibus carnes uendũtur ſtare apud beccariam, & carnes omnes, quæ à beccarijs uenduntur exinde ponderare, & uinculo ſacramenti denunciare teneatur Dominis Cõſulibus omnes beccarios malo carnes prædictas pondere uendentes, quos beccarios condemnare teneantur Domini Conſules prędictis in ſoldis duobus paruorum pro qualibet uncia carnium malè ponderata, cuius pęnæ medietas ſit Communis, & reliqua dicti Iurati, ac condemnetur in amiſsione totius ponderis malè ponderati ipſorum carnium dandi integraliter ipſi Iurato, & teneatur idẽ Iuratus omnes, quos uiderit carnes portantes ad ſe uocare, & ad ponde-

ponderandum veniant ipsius carnes, & quilibet per eum vocatus non veniens carnes perdat, ac etiã pro qualibet vice in soldis quinque paruorum condemnetur, quæ pœna diuidatur vt superius est dictum. Insuper teneatur idem Iuratus vinculo sacramenti omnes contrafacientes dictis Dominis Consulibus subito denuntiare, & semper in dicto suo officio personaliter adesse nullum valens loco eius subrogare modo aliquo, nisi de voluntate, atque licentia Dominorum Consulum, qui si neglexerit dictum eius officium exercere, aut commiserit fraudem aliquam in eodem, condemnetur in libris quinque paruorum, & plus, vel minus in arbitrio Dominorum Consulum inspecta conditione facti, & habeat ipse Iuratus de denarijs Communis libras tres paruorum in mense, & sit à custodijs, & singulis Cõmunis oneribus absolutus tempore sui officij, sique fideliter, & diligenter videbitur suum officium exercuisse in capite mensium sex valeat si Dominis Consulibus, & Ancianis videbitur denuo confirmari.

De officio præceptorum custodiarum Terræ Coneglani.

ELigantur duo de Terra Coneglani secundum ordinem rodulorum singulis tribus mensibus, qui fideliter, & diligenter præcipere debeant ostiatim singulis personis tangentibus custodias, tàm diurnas, quàm nocturnas, tàm habitantibus in Terra Coneglani, quàm in Burgis, & circhis secundum cõsuetudinem per vnã diem antequam eis tangant dictæ custodiæ, & specificare teneantur illis quibus tangunt ipsæ custodiæ diurnæ, ad quam portam eis tangunt, seu vxoribus, vel alijs de eius familia, & si ipsi officiales fraudem aliquam committerent in dicto eorũ officio, uel guardas, seu custodias aliquas defraudauerint, aut aliquẽ à custodia aliqua exemptum fecerint, condemnentur pro quolibet, & qualibet vice in soldis viginti paruorum, quorum medietas sit Communis, & reliqua accusatoris. Habeant autem ipsi officiales pro eorum salario pro quolibet in dictis tribus mensibus libras tres paruorum, & sint à singulis custodijs dictæ Terræ Coneglani tempore dicti sui officij totaliter absoluti.

De

De Officiali fontis, & guazatorij.

ELigatur etiam per Dominos Consules, & Ancianos vnus sufficiens magister, qui diligenter, & solicitè semper in conzo tenere debeat fontem Plateæ, Burgi, & omnia canalia per quæ currit aqua dicti fontis, & ipsa semper munda, & curata tenere, ac etiã brẽtum lapideum dicti fontis, & guazatorium, quod est penes ipsum fontem saltem quater in anno, videlicet, omni capite trium mẽsium euacuare, & ab omni luto, & sorde mundare, & dictũ lutũ & omnes sordes postquam de ipso guazatorio extracta fuerint infra dies octo extra terram portari facere, habeatq́, pro eius salario dicti anni libras sexdecim paruorum, & omnia necessaria pro laborerio dicti fontis, siue canalium, & guazatoris, & operarios pro cõmuni necessarios ei in aptatione dicti fontis, & canalium solummodo, & sit à custodijs singulis absolutus.

De officiali tenente in conzo canalia castri.

ORdinamus etiã quòd anno singulo per dictos Dominos Consules, & Ancianos eligatur vnus sufficiens homo, qui in conzo diligẽter tenere debeat quoddã canale per quod decurrit aqua Plateę Castri per andronam domorum ser Aloysij de Collalbrico, & canale incipiens penes portam voltæ, per quod decurrit aqua descendens de Castro per subtus pontem lapideum propè Ecclesiam Sanctæ Marię de Monte, & canale quoddam incipiens propè hortum voltæ hæredum q. ser Mãfloridi de Coderta, per quod decurrit aqua dictæ uiæ voltæ descendens per propè hortos inferiores à manu dextera vsq, ad dictum pontem Sanctæ Mariæ de Monte, & aliud canale incipiens de subtus dictum pontem Sanctæ Mariæ de Mõte, per quod decurrit aqua inter domum dictæ Ecclesiæ nunc habitatam per Iacobum Cereli, & quoddam arale ser Mastini de Auoscano, ac quoddam aliud canale incipiens propè portam ser Bele, per quod decurrit aqua exiens per quandam fenestram ferratam extra muros Terræ.

De

De non recipiendis in Consilio, ac ad alia officia non currentibus.

NVllus autem minor annorum viginti posśit in Consilio generali recipi, neque ad alia officia Communis eligi, neque quęlibet alia persona, quæ non substineat cum Commune dictæ Terræ onera, & factiones.

De Represalijs fiendis.

STatuimus nanque, quòd, si Dominus, Vniuersitas, vel Cômune alicuius Terræ, vel loci, aut aliqua specialis persona de alia Terra, vel districtu tenuerit occupata bona alicuius hominis, vel personæ de Terra Coneglani, vel districtu, aut ei, vel eis aliquid quocunque modo debuerit, de quo facta non fuerit sibi ratio Domini Consules ad instantiã talis Coneglanensis teneantur mittere litteras Domino, Vniuersitati, vel Communi, à quo dictus Coneglanensis aliquid recipere debuerit, vel sub quorum iurisdictione fuerit ille, qui aliquid ipsi Coneglanensi debuerit, quòd eidem de iure faciat integrè satisfieri, vel occupata bona reddi, &, si per litteras huiusmodi interpellati bona ipsa occupata nõ restituerint, vel eidẽ Coneglanensi solui integrè de iure non fecerint, prędicti DD. Consules iterato secundarias eiusdem tenoris litteras, aut vnum, vel duos ambasciatores expensis habere debẽtis ad dictum Dominum, Commune, vel Vniuersitatem mittere teneãtur, prout eis melius videbitur iuxta temporum, & facti conditionem, & qualitatẽ, &, si per secundas litteras, uel ambasciatores (vt est dictum) moniti ipsi Coneglanensi non satisfecerint, tunc Domini Consules hoc in Consilio generali proponere teneantur, &, si obtentum fuerit in dicto Consilio, represaleæ concedi debeant dicto creditori, seu illi, cuius bona, vel iura detenta fuerint contra dictum Dominum, Cõmune, Vniuersitatem, vel aliquam specialem personam, vel personas districtuales, & Ciues dictæ Terræ Domini, Côis, vel Vniuersitatis, qui tempore huiusmodi reperti fuerint habitare sub eorum iurisdictione tàm in debito, quàm in omnibus damnis, expensis, & interesse, & ex tunc præfati Domini Consules omnes, & singulos

gulos Ciues, uel districtuales, & subditos prædictos teneantur, & debeant capi, & arrestari facere, ac interdici in personis, & rebus, donec ipsi Coneglanensi fuerit integrè satisfactum.

De salario Tabellionum.

NOtarij, qui pro tempore fuerint ad officium Dominorum Consulum, teneantur, & debeant congruis tẽporibus, & horis adesse in eorum officijs, & omnia, & singula acta, & scripturas causarum tàm Ciuilium, quàm Criminalium, quæ agitabuntur coram præfatis Dominis Consulibus fideliter, & per ordinem scribere in quaterno actorum, & non in cedula dummodo eis solutũ fuerit de dicta scriptura secundum formam Statutorum infra tertiam diem postquam dicta causa agitata fuerit, &, si contigerit aliquẽ ex litigatoribus aliquid protestari coram dictis Dominis Consulibus, qui de causa cognouerint, teneatur protestãs ipsam suam protestationem in scriptis producere, quam ipse Notarius uti producta fuerit in actis registrare teneatur. Cæterum, quia super salario scripturarum plerũque occurrunt altercationes inter ipsos Notarios, & partes litigantes, hoc præsenti statuto decernimus. Quòd quilibet Notarius pro ꝓductione libelli, & positione ipsius in quaterno accipere possit soldos duos paruorũ, & non vltra. Pro relatione Præconis, paruos sex. Pro præsentatione actoris, vel rei, paruos sex. Pro productione cuiuslibet instrumenti facientis ad legitimationem personæ, & positione ipsius in quaterno, soldos tres. Pro legitimatione personæ, paruos sex. Pro præcepto, vel interlocutoria trahente secum executionem, soldos duos. Pro termino vnum soldum. Pro qualibet exceptione, vel replicatione, paruos sex. Pro interdicto, vel pignoratione, soldos duos. Pro securitate facta in iudicio, soldos duos. Pro contestatione litis, vel iuramẽto calumniæ, soldos duos. Pro productione cuiuslibet capituli, & positione ipsius in quaterno, paruos sex. Pro respõsione cuiuslibet capituli, paruos quatuor. Pro interrogatione facta ex officio Consulum, & responsione ad ipsam interrogationem, soldos duos paruorum. Pro iuramento cuiuslibet testis producti, paruos sex.

Pro

Pro productione cuiuslibet interrogatorij, paruos sex. Pro receptione cuiuslibet testis super singulis capitulis, super quibus dixerit se aliquid scire soldum vnum, & si dixerit se nihil scire quantacunque sit capitulorum quantitas, habeaut, & habere debeant pro quolibet teste, grossum vnum paruorum. Pro exemplatura cuiuslibet testis, soldum vnum. Pro publicatione, paruos sex. Pro sacramento delato parti à Iudice, vel à parte, paruos sex. Pro conclusione in causa, soldos duos. Pro sententia diffinitiua, vel adiudicatione in solutum vsque ad libras vigintiquinque paruorum. Pro prima scriptura, soldos sex paruorum, & totidem pro authentico, & si fuerit à vigintiquinque libris paruorum supra vsque ad quinquaginta, pro prima scriptura soldos decem paruorum, & totidem pro authentico; & si fuerit à libris quinquaginta parnorum vsque ad centum, pro prima scriptura soldos viginti paruorum, & totidem pro authentico; & si fuerit à centum libris supra vsque ad quingentas, duodecim grossos paruorum pro prima scriptura, & totidem pro authentico; & si fuerit à quingétis libris paruorum supra vsque mille, vltra dictum pretium soldos octo paruorum pro centenario, & in ratione centenarij; & si fuerit à libris mille paruorum supra, soldos quatuor paruorum pro centenario. De alijs verò instrumentis quibuscunque, exceptis Presis, habere debeāt vsque ad summam vigintiquinque librarum, soldos uiginti paruorū; & à uigintiquinque paruorum usque ad quinquaginta, soldos trigintaduos paruorum; & à libris quinquaginta paruorum usq; ad centum, soldos quadraginta paruorum; & à libris centum paruorū usque ad quingentas, libras tres soldos quatuor paruorū; & à quingentis supra usque ad mille ultra illud, soldos octo pro centenario, & à mille libris paruorum supra ultra dictum pretium, soldos quatuor pro centenario, & rata centenarij. Pro qualibet autem Presa unius debitoris usq; ad libras uigintiquinque paruorum, soldos tres paruorum; & si fuerint duo, uel plures debitores, soldos quatuor paruorum, & à libris uigintiquinque paruorum usque ad centum, siue unius, siue plurium debitorum, soldos sex paruorum; & si fuerit à libris cētum paruorum usque ad mille, ultra dictos sex soldos

ſoldos paruorum, ſoldos duos paruorum pro centenario, & à mille libris paruorum ſupra, ſoldum vnum pro centenario; & quæ dicta ſunt de Preſis ita etiam intelligantur de inſtrumentis conſeruationum, indemnitatum, & ſocedarum. Verùm ſuper ſalario teſtamentorum, & inuentariorũ, quia diuerſa fiant, aliquando parua, aliquãdo magna, propter quod cõmodè taxatio eorum fieri non poteſt. Volumus, quòd, ſi ſuper ipſis contentio aliqua moueretur, quod in arbitrio Dominorum Conſulum ſit taxationem facere eius, quod Notarius accipere debuerit de ſalario, ſeu labore, cũ conſilio duorum bonorum virorum penes eos aſſumendorum, ſecundum quod eis videbitur conuenire. Notarius autem ſuper maleficio deputatus pro ſuo merito, & labore, accipere poſsit pro qualibet accuſa, denunciatione, & inquiſitione, ſoldos duos paruulos octo, pro defenſione, & ſecuritate, groſſum vnum: Pro alijs autem ſcripturis, & ſententijs Criminalibus ſuper maleficijs fiendis, accipere poſsit tantum, quãtum alij Notarij in cauſis Ciuilibus ſuper ſcripturis, & actitatis per eum; &, ſi quis contrafecerit omittendo, vel aliter faciendo, quàm ſuperius dictum eſt, condemnetur pro qualibet vice, & quolibet prædictorum caſuum in ſoldis quadraginta paruorum, & quod aliter, ſeu plus receperit, in duplum reſtituat. Porrò quicunque Notarius rogatus fuerit conficere aliquod inſtrumentum ſuper aliquo contractu, qui Notarius publicè exerceat artem Notarię, teneatur antequam inſtrumentũ aliquod ſtipuletur inter partes ſcribere, & in ſcriptis redigere annum, menſem, indictionem, & diem, ſub quibus idem contractus conficitur, & nomina contrahentium, & factum, ſeu rem ſuper qua obligatio, & contractus cõficitur, cum qualitate rei, vel facti, &, ſi quis contrafecerit, vel prædicta omiſerit, puniatur pro qualibet vice in ſoldis quadraginta paruorum. Ceterum, ſi contigerit, aliquem tabellionem, decedere poſsit quilibet Notarius, qui auctoritatem habuerit à generali Cõſilio Coneglani, authenticare, & publicare, ſiue in publicam formã redigere inſtruméta, ſeu contractus, quos reperierit in rogatis, ſeu protocollis Notarij defuncti, ac illa, ſeu illos extendere ſecundum conſuetudinem, & morem defuncti; vti in cõſimilibus, & eiuſdem

tenoris

tenoris instrumentis distinctè scriptis reperierit. Taxationem autem scripturarum, & instrumentorum dictorum tabellionum non intelligantur, nisi inter Ciues, & subditos Terræ Coneglani.

De Præconibus, & eorum salario.

STatuimus, quòd eligãtur Præcones quatuor legales, & idonei per Dominos Consules, & Ancianos, qui eisdem Dominis Cõsulibus semper parere in omnibus debeant de die, & de nocte, & saltem vnus eorum continuè stet sub domo Communis, Castri, vel Burgi ad custodiam Dominorum Consulum, & quando contigerit campanam Consilij, vel arenghi pulsare, præfatis Dominis Consulibus omnes, qui erunt in Terra, vel Burgis Coneglani se præsentare teneantur. Insuper quilibet Præco ad petitionem cuiuslibet petentis, teneatur requirere, & citare quancunque personam in Terra Coneglani, vel districtu coram Dominis Cõsulibus, & alijs quibuscunque officialibus Cõis Coneglani iurisdictionem habentib. etiam nulla commissione per Dominos Consules ei facta. Cuius citationis relationem per Notarios Curiæ faciat annotari pro die illa Lunæ, videlicet, vel Iouis iuridica, pro qua eum citauerit anteq̃ Domini Consules ad bancum sedeant, in quibus diebus Lunæ, & Iouis iuridicis omnes prędicti Pręcones, siue aliquos citauerint, vel non, se dictis Dominis Consulibus pręsentare teneantur, & ibi stare donec à banco iuris surrexerint. Cætera autem vltra citationes, quę per eos explicari debuerint, faciant ex commissione Dominorum Consulum, vel aliorum officialium Communis Coneglani iurisdictionem habentium, & aliter facta non teneant. Et si quis ex dictis Præconibus contrafecerit non parendo ipsis Dominis Consulibus, vel officialibus prædictis, seu non veniendo dictis temporibus, & horis, vel alia omittendo, seu aliter faciendo, quàm superius est expressum, condemnetur pro qualibet vice in soldis viginti paruorum, & paucioribus arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti, saluis semper maioribus pœnis in Statutis Cõis Coneglani pro prædictis, vel aliquo prædictorum appositis, seu contentis.

C Licet

Liceat autẽ Pręconi pro suo salario accipere pro qualibet citatione, vel præcepto facto in domibus, Castri, vel Burgi, aut in Terra, & Burgis Coneglani, paruos sex. Pro pignoratione verò, vel sequestro, vel assignatione tenutæ, seu inductione in possessionẽ in Castro, vel Burgo, vel circhis, seu Burgis Coneglani soldum vnũ par. Pro captione verò, seu detentione personali debitoris alterius personæ, soldos duos par. Pro crida, vel proclamatione facta ad instantiam alicuius, soldum vnum par. Et si extra Burgos Coneglani vsq; ad vnum milliare citationem, vel præceptũ fecerit, aut pignorauerit, vel sequestrauerit, aut interdixerit, vel aliquem in tenutam, & possessionem alicuius rei induxerit, uel debitorem alterius personaliter detinuerit, liceat sibi accipere soldos duos paruorum. Et à dicto milliare supra in quolibet supradictorum casuum possit accipere ultra illos duos soldos, soldum unum pro quolibet milliari, qđ intelligatur, si solum unam personam citauerit, uel unum solum ex dictis actibus fecerit, sed si plures citauerit, aut plures ex dictis actibus exercuerit, habeat pro primo, ut dictũ est, & pro quolibet alio soldum unum paruorum, quod salarium dicti primi partiri debeat, & solui cõmuniter per omnes, qui pignorati, uel præcepti fuerint, intelligendo de omnibus, quæ dicta sunt in Statuto præsenti; &, si quis contrafecerit in petendo, uel plus accipiendo, ut dictum est, condenetur pro qualibet uice in soldis uiginti paruorum, quorum medietas sit Communis, & reliqua accusatoris. Possint autem habere ipsi Præcones, ultra dictum salarium, de rebus immobilibus, quæ ad incantum uenduntur usq; ad libras centum paruorum, unũ denariũ pro libra; & ab inde supra soldos quatuor pro centenario. De mobilibus verò ad incantum occurrentibus uendi, eis soluatur secundum qualitatem facti arbitrio Dominorum Consulum. Præfati autem Præcones de denarijs Communis habere debeant pro eorum salario libras uigintiquinque paruorum pro quolibet in anno, & ratione anni, & unum biretum cum armis Domini nostri, & communis Coneglani.

LIBRI PRIMI FINIS.

STATVTORVM CONEGLANI
LIBER SECVNDVS.

De causis Ciuilibus.



VIA causarum definitio, & cognitio, atq; processus multotiens indebitè dilatantur, & multi grauantur expensis varijs, & diuersis contra debitum veritatis. Volentes super prædictis prouidere. Statuimus, & firmamus, quòd Domini Consules prædicti, comparentibus partibus coram eis legitimè, per se, vel eorum Procuratorem super, & de qualibet causa ciuili cognoscant secundum formam Statutorum Communis Coneglani, atq; definiant. Et, si Statuta esse descripta non reperirentur, tunc de similibus Statutis ad similia procedatur, quibus omnibus deficientibus, vt mandant Iura Ciuilia procedatur. Insuper, si quis citari fecerit pro debito librarum trium paruorum, vel inde infra aliquem debitorem suum personaliter semel tantùm, & talis citatus hora debita in iudicio non comparuerit, prius delato, petenti sacramento sententietur citatus, & absens in dictis libris tribus paruorum, vel inde infra, prout idem actor de Iure Ciuili iurauerit. Si verò pro debito quis citatus fuerit vltra libras tres paruorum vsque ad cẽtum semel personaliter, & non comparuerit, quòd possit actor se præsentare statuta hora in iudicio, & sibi scribi facere præsto, & paratũ; &, si eundem debitorem idem actor pro vice secunda etiam personaliter citari fecerit, & non compareat, tunc delato sacramẽto eidem actori; siue petat vigore instrumentorum, siue qualibet alia causa sentẽtietur dictus reus absens, vti se de iure velle iurauerit ipse actor. Et, quia multotiens contigit, reos, inquantũ possunt, vitare iudicium, sufficiat si duabus vicibus citatus quis fuerit ad domum in casu prædicto, & semel tantùm personaliter, si duabus vicibus reperiri non poterit, quæ citatio personalis facta sufficiat, siue in principio, siue in fine. Si aũt à libris centum paruorum supra quis ci-

tatus fuerit, teneatur actor ipsum reum non comparenté ter perſonaliter citari facere, &,ſi omnib. tribus vicibus reperiri nō poterit, ſaltem bis perſonaliter citari debeat & ſemel ad domum eius habitationis,in quib. caſibus non cōparente tunc ſententietur ipſe reus per modum (vt dictum eſt.) Interuallum aũt inter vnanquanq; citationem omniũ prędictarum eſſe debeat duorum dierũ ad minus, & ad plus quindecim ,& in hoc vltimo caſu à libris centum paruorum ſupra non poſsit quis ſic perſonaliter,vel ad domũ vt eſt dictum,citatus & non cōparens condemnari,nec ſentẽtiari,niſi appareat,ipſum teneri per inſtrumentũ,aut teſtes duos ad minus uel alias probationes quę ipſis Dominis Cōſulibus clarę videantur, uel per ſcripturam, ſiue ſcripturas ſcriptas manu ipſius debitoris propria continentem annum Domini,& diem,& pecuniæ quantitatem, & cauſam,quibus ſcripturis priuatis ſcriptis manu propria debitorum cũ anno,& die(ut dictũ eſt)uti publicis inſtrumentis concedimus plenum robur, dum tamen terminum annorum quatuor non tranſcurrant, in quo caſu nullam obtineant firmitatem.

De debitoribus abſentibus.

CAeterùm, ſi coram Dominis Conſulibus quis comparuerit dicens ſe habere debere ab aliquo ſuo debitore Ciue Coneglani, qui ſteterit extra diſtrictum Coneglani per ſpatium menſiũ duorum abſens aliquali de cauſa libras tres paruorũ, uel abinde infra, ſtetur ſuo ſacramento,& per ipſos Dominos Cōſules procedat ad uẽditionẽ bonorum mobiliũ ipſius abſentis, & debitoris uſque ad dicti debiti ſatiſfactionem. Si uerò à dictis libris trib. paruorum uſq; ad uigintiquinq; quis cōparuerit petens à debitore ſuo ſic abſente,eum ad domum ſuæ habitationis bis citari faciat,ſi uerò habitationem, ſeu familiam,aut Procuratorẽ in Terra,uel diſtrictu Coneglani non haberet, ſi Ciuis erit,ſuper Platea bis publicè per Prę conem Cōmunis citetur, &, ſi diſtrictualis Villarum erit, ſuper Platea Villæ eius habitationis, dummodo inter utranq; citationẽ dierum quinque ſpatium interueniat,& talis ſic requiſitus non comparens, ſententietur dũmodo per inſtrumenta, uel alias probationes

ſu-

ſuperius expreſſas ipſum verum debitorem appareat, deferendo tamen ſacramentum actori, ſi ſic eſt, &, ſi de ipſo debito aliquid recepit in toto, uel parte. Inſuper, ſi talis actor comparens ab aliquo debitore ſuo petierit à libris vigintiquinq; paruorũ ſupra, qui debitor (vt eſt dictum) ſteterit extra Terram, & diſtrictũ Conegląni per menſes duos continuos, ſi locus, in quo habitauerit, erit diſtãs à Terra Coneglani per milliaria quinquaginta, vel inde infra, teneantur Domini Cõſules, petitione tali diligenter prius per Notarium cauſæ in actis annotata, litteras primas citatorias eidẽ per nuntium proprium deſtinare continentes in effectu petitionem actoris, & cauſam, ſtatuendo eidem reo terminum coram eis ad cõparendum, vti expedire videbitur, attenta loci, in quo erit diſtãtia; &, ſi in primo termino non comparuerit, ſecundas eiuſdem tenoris litteras citatorias eidem tranſmittant per modum, vt dictum eſt. Quòd, ſi etiam vice ſecunda comparere neglexerit, tertias vltimatè peremptorias litteras ad ipſius actoris petitionem, per modum iam dictum, &, vt ad audiendum de contentis in ipſis litteris ſentẽtiam continentibus veniat. Sique etiam tertio in ſtatuto non venerit termino, tunc ſententietur, & condemnetur actori; & creditori ſuo in tota, & omni illa quantitate pecuniæ, aut rerum mobilium, prout ipſe creditor per publica inſtrumenta, aut teſtes duos, ad mĩnus, probauerit, uel ſcriptura manu ipſius debitoris, per iam ſcriptũ modum, aut per alias probationes, quæ ipſis Dominis Conſulibus clarę videantur. Stetur autem ſacramẽto præfati nuncij ſpecialis, ſic per Dominos Conſules cum præfatis citatorijs litteris miſsi, cũ ſacramento eidem præſtando, qualiter ipſas litteras dicto reo perſonaliter pręſentauerit. Verùm, ſi talis debitor ſteterit (vt eſt dictũ) in loco aliquo diſtante à Terra Coneglani vltra milliaria quinquaginta, vel in alio quocunque loco, tàm citra dicta quinquaginta milliaria, quàm vltra, & vbi ſit, aut ſteterit ignoretur, & trãſierint menſes duo continui ex quo de Coneglano, & diſtrictu diſceſſerit, tunc præfati Domini Conſules prius in actis annotata per Notariũ cauſę petitione ipſius actoris diligẽter, talem, ſeu tales ſic abſentes, & Procuratores legitimos non habentes, per Præconem Commu-

nis ante domum suæ solitæ habitationis, & super Platea Cõmunis faciant, alta voce præconia, more solito, citari, vt infra dies quindecim debeant coram ipsis Dominis Consulibus, ad petitionem ipsius actoris, & petentis, comparere; declarando, in citatione, tenorem ipsius petitionis, & causam; &, si infra dictum terminum non comparuerit, secundò eodem modo vt præmissum est, citetur, & eodem reo non comparente in secunda citatione, & termino stabilito, quòd tertio, in dictis locis, per iam dictum modum, & terminum vltimate citetur, & peremptoriè, & eo non comparente, vel alia persona legitima loco eius, tunc, si idem actor petitam quantitatem pecuniæ, siue mobilium rerum se de iure velle probauerit per instrumenta publica, vel alias legitimas probationes, condemnetur, ac sententietur idem requisitus reus, vnus, vel plures, vt casus dederit, iuxta probationes à dicto actore legitimè factas.

De citatis comparentibus ad defensionem.

STatuimus autem, quòd, si quis aliquem citari fecerit pro debito librarum quinquaginta paruorum, vel ab inde infra, & reus citatus id quod creditor petierit se teneri, negauerit, facta per actorem petitione eius oretenus, quam Notarius causæ scribat in actis, statuatur actori terminus competens iuxta conditionem & qualitatem facti arbitrio Dominorum Cõsulum ad probandum de iure suo, & in quæstione ipsa summatim sine strepitu, & figura iudicij procedatur & terminetur ipsa quæstio saltem vsq; ad vnum mensem, ex tunc secuturum à tempore ipsius petitionis. Et, si iusta causa infra dictum terminum terminari non poterit, Domini Cõsules, qui de causa cognouerint, teneantur, & debeant terminare ipsam quæstionem infra unum alium mensem proximè subsequentem. Si verò quod petetur fuerit maioris quantitatis, vel summæ librarum quinquaginta paruorum, vel abinde supra usq; ad quamlibet summam, sine instrumento, vel aliqua scriptura priuata manu rei scripta, ut superius est dictum, tunc per actorem offeratur libellus, vel aliqualis petitio in scriptis, in qua sufficiat, vel in quo nomen Iudicis, actoris, & rei cõtineri, & id quod petitur, & causam pro-

pter

pter quam, nulla iuris obstante solemnitate Canonici, vel Ciuilis; & hoc si reus ipsam petitionem in scriptis porrigi petierit, & non aliter; & ad respondendum libello, seu petitioni, & ad deliberandum super eo, uel ea, statuatur reo terminus trium dierum, & plurium arbitrio Dominorum Consulum, quo termino elapso statim, nullis exceptionibus obstantibus, quarum disputatio in processu reseruetur, vel nisi fortè de voluntate actoris fuerit, quòd super ipsis exceptionibus disputetur, & pronuncietur ante litis contestationem, nisi fortè opponeretur contra personam officialium, vel litigatorum, procedatur ad contestationem litis, & præstetur hinc inde calumniæ iuramentum, & statuantur termini actori ad probandum de iure suo in lite, arbitrio Dominorum Consulum de causa cognoscentium, & in causa procedatur sine superfluis dilationibus; ita tamen, quòd quæstio terminetur infra spatium trium mẽsium subsequentem à die litis contestatæ, & si aliqua iusta causa remanserit, vel impedimento legitimo, quin infra dictum spatium terminetur, Domini Consules prædicti quæstionem ipsam extendi ultra duorum subsequentium mensium spatium ullatenus non permittant, sed infra dictum tempus ipsam litem, & quæstionem terminare teneantur omnino: hoc addito, quòd, si per aliquam partiũ in procedendo in lite duo continui termini fraudati fuerint, in quibus altera partium non comparuerit ad procedendum in lite, tunc pars contumax parti volenti in lite procedere, & petenti teneatur expensas factas in lite, occasione dictarum contumaciarum, reficere antequam sua iura in lite recipiantur, vel audiantur, & nihilominus procedatur ad causę definitionem.

De citatis comparentibus, & à debito, de quo appareat publicum instrumentum, vel priuata scriptura, defendere se volentibus.

PRæsenti Statuto mãdamus, quòd, si quis aliquem, vel aliquos citari fecerit coram Dominis Consulibus, quem, vel quos vigore alicuius publici instrumenti, & authẽtici, siue sententiæ alicuius, tàm à Iudicibus, siue Consulibus Cõis Coneglani, quàm ab aliquibus arbitris, siue arbitratoribus latæ, vel vigore alicuius priua-

tæ

tæ ſcripturæ ſcriptæ manu debitoris, vt aliàs dictum eſt, ſibi dixe rit debitorem, & ſolutionem ſui inſtrumenti debiti, ſententiæ, ſeu priuatæ ſcripturæ prædictæ petierit coram Dominis Conſulibus, ſufficiat actori inſtrumentum, ſententiam, ſeu talem priuatam ſcripturam producere, & petere ſibi de eo per debitorem, vel debitores ſolutionem fieri, & ſuum inſtrumentum, ſententiam, vel ſcripturam in bonis debitoris executioni mandare, &, ſi quidem debitor, uel debitores confeſſus, ſiue confeſsi fuerint debitum, mandetur ſibi, quòd ſolutionem faciat creditori de debito infra terminum dierum decem in terrigena: in ruſtico verò quindecim dierum, & hoc, ſi fuerit vigore alicuius inſtrumenti, uel ſcriptu ræ priuatæ. Si uerò uigore ſententiæ, & in ea contentus terminus ſit elapſus, ſtatim iuxta ordines, & ſtatuta executioni mandetur in bonis debitoris, nullum ulterius terminũ debitori ſtatuẽdo. Et ſemper præſtetur iuramentum debitori debitũ confitenti, quòd illud non confitetur, nec ſe obligat, ſiue facit in præiudicium, uel damnum alicuius, & quòd ipſi creditori re uera de iure tenetur. Sique plures fuerint debitores in ſolidum obligati, & uni mandatum fuerit de ſoluendo debitum, poſsit creditor cõtra alios etiam abſentes de debito proteſtari, & ius ſuum cõtra eos, & eorum quẽlibet dicere ſaluum eſſe, & non præiudicet præceptum uni ex debitoribus factum, quin creditor contra alios, & aliorum quemlibet debitum poſsit petere in toto, uel parte, donec fuerit ſibi de debito ſatisfactum, etiam ſi de iure ſuo creditor non fuerit aliquid proteſtatus; ita, quòd credatur, & ſtetur dicto inſtrumento, uel ſcripturæ priuatæ prædictæ, ſiue ſententiæ cum ſacramento dicto creditori deferendo, quòd tantum habere debeat de iure, intelligendo, ſi cõtra primum, quem citari fecerit, ſiue primos iura ſua fuerit executus, & ſolutionem habere non potuerit etiam vltimate excuſsione bonorum ipſius primi, vel ipſorum facta antequam contra aliquos procedatur. Si verò debitor dixerit, ſe velle tueri à debito, ſententia, vel ſcriptura priuata nominata ſuperius, non audiatur, niſi dixe rit inſtrumentum, ſententiam, vel ſcripturam priuatam falſum, fictitium, vel ſimulatum, aut de ipſis ſolutionem etiam factam in to-

to,

to, uel in parte, super quibus exceptionibus, & oppositionibus statuatur terminus reo per Dominos Consules competens ad probãdum quicquid probare intendit, & super eis procedatur summariè, & sine strepitu, & figura iudicij, & absque magnis dilationibus, taliter ꝙ talis quæstio infra spatium duorum mensium debeat pœnitus terminari, saluo tamen, quòd, si falsitatis causa inciderit de ea, & super ea, ante omnia principaliter debeat procedi, cognosci, & terminari. Insuper hoc præsens Statutum sibi locum non vendicet, nisi in quæstionibus vertentibus inter Ciues, & districtuales Coneglani, vel in casu, quo Ciuis aliquis, vel districtualis ageret contra forensem aliquem, si verò forensis aliquis ageret contra Ciuem, tunc solemnitates seruentur à Iure Communi statutæ.

De sententijs, & praeceptis Dominorum Consulum executioni mittendis in bonis mobilibus.

STatuimus, quòd, si quis contra aliquem, vel aliquos suos debitores habebit sententiam, vel præceptum factũ per Dominos Cõsules Coneglani de libris quadraginta, vel inde infra, de quo terminus sit elapsus, posit nuntius Communis Coneglani, cum licentia Dominorum Consulum sine scriptura commissionis ipsum, vel ipsos debitores pignorare, & pignora mobilia debitoris capere, & deponere penes aliquem suum vicinũ, si fuerit de Terra Coneglani, vel penes Mericum, vel vicinum; si debitor fuerit de Villis, & mandare debitori, quòd pignus luat infra octo dies tunc proximè subsequentes, & sufficiat si vicinus, vel Mericus confitetur, & contentetur dictum pignus penes se habere, quod fuerit per debitorẽ Præconi designatũ; &, si infra octo dies debitor dictum pignus nõ exegerit, tunc dictus nuncius Cõmunis teneatur statim infra tres dies tunc proximè subsequentes ipsum pignus conduci facere in Platea Burgi Coneglani, si de voluntate processerit creditoris, & ipsum per duos dies continuos incantare, si debitũ, vel pignus fuerit summæ decem librarum, vel ab inde infra. Si verò maioris summæ librarum decem fuerit, tunc per dies tres continuos incãtetur, & ipsum cum licentia Dominorum Consulum dare plus offerenti,

&

& solutionem facere creditori de eius debito, & expēsis, & si quid superit reddere debitori. Si verò Mericus, vel vicinus penes quē dictum pignus fuerit designatum, & depositum, vel ipsum penes se contentus fuerit habuisse, statim elapsis dictis octo diebus illud pignus Præconi non restituerit, quando super Platea conduci facere voluerit ad ipsius creditoris voluntatem, de cōmissione Dominorum Consulū retineatur talis Mericus, vel vicinus, donec dicto creditori de suo debito, & expensis fuerit satisfactum, vel dictus Mericus, uel uicinus de suis proprijs bonis tantum designauerit, quod ad satisfactionem debiti, & expensarum creditori sufficiat, vel saltem vsque ad valorem pignoris, quod penès eum fuerat designatū: si uerò debitor reuelauerit pignus nūtio Communis, aut dixerit se inde non habere bona consignanda pro debito creditori mobilia, uel immobilia, deinde facta relatione, & guarentatione de reuello per nuntium Communis, possit idem nūtius cum aliquo ex baroarijs, siue officialium Dominorum Consulum cum uerbo, & licētia eorundem ipsum debitorem ad petitionem creditoris detinere, & capere personaliter, & ipsum in carceribus Communis Coneglani facere detineri: hoc addito, quòd, si creditor comparuerit coram Dominis Consulibus, & fecerit sibi fidem suum debitorem esse suspectum, uel fugitiuum, tunc Domini Consules teneantur, & debeant facere dictum debitorem personaliter capi, & detineri ad ipsius creditoris petitionem pro dicto suo debito. Si nanque casu aliquo contigerit, aliquem debitorem non habere tot bona mobilia, quæ sufficerent ad solutionem debiti, & hoc constet Dominis Cōsulibus per testes, uel iuramētum, tunc possit idem debitor pignora immobilia designare per modum in sequenti statuto contentum.

De pignoratione rerum immobilium, & distractione earum.

MAndamus nanque, quòd, si quis cōtra aliquem debitorem, uel debitores suos sententiam, uel præceptum habebit de libris quadragintauna, uel inde supra, & terminus sententiæ, uel præcepti sit elapsus, & compareat talis creditor coram Dominis Consulibus petens de suo debito satisfieri, teneantur ipsi Domini Consules

ſules ad ipſius creditoris petitionem commiſsionem facere Præconi, quæ in ſcriptis appareat, vt talẽ, vel tales debitores uadat pignoratum de ſumma in dicta ſententia, ſiue præcepto cõtẽta, & bona immobilia, quæ ipſe debitor deſignauerit, habeat pro deſignatis, niſi fortè uellet mobilia pignora ipſe debitor deſignare, in quo caſu pro omni debito, ſi de uolũtate debitoris, uel debitorum proceſſerit, poſsint mobilia pignora deſignari, &, ſi creditor contẽtus fuerit de ipſa deſignatione pignoris facta nuncio, procedatur ſuper ipſo pignore, & conſignatione eius, uti inferius declarabitur. Si uerò creditor non fuerit contentus de deſignatione facta per debitorem nũcio Communis de bonis immobilibus ſui debitoris, ad præſentiam Dominorum Conſulum ire debeat ipſe creditor, & cauſam exponere, propter quam de ipſa deſignatione non eſt contentus, ut quia pignus deſignatum ſit in duplo ualoris debiti, uel ſit poſſeſsio ſterilis, uel inculta, nec ad uendendum apta, tunc Domini Conſules diligenter examinare debeant pignoris deſignati conditionem, & ſi eſſet conditionis ſupraſcriptæ per creditorem expreſſæ, & debitor habeat alias poſſeſsiones, & terras, tunc pro non facta ipſam pignoris deſignationem habeant, & de nouo capi faciant, & intromitti de poſſeſsionibus, ſeu terris ipſius debitoris idoneis, & aptis ad uendendum, dum tamen ſint ualoris, uel circa debiti, quod petitur, uti eiſdem Dominis Conſulibus facta diligenti examinatione negocij melius uidebitur conuenire, & tunc ipſe nuncius mandet debitori, quòd ipſa bona deſignata, uel pro pignore capta, uel intromiſſa uſque ad octo dies tunc proximè ſubſequentes luat, aliàs uendentur ad incantum ſuper Platea Burgi Coneglani, & plus offerenti dabuntur, & fiet ſolutio creditori de ſuo debito, & expenſis, quibus octo diebus elapſis proclametur duabus uicibus cum interuallo trium dierum unius proclamationis ab altera ſuper Platea Caſtri, & Burgi Coneglani, quòd ſi eſſet aliquis homo, uel perſona, quæ uelit dicere, ſe ius habere aliquod in dictis bonis deſignatis, uel captis pro pignore, uel ſuper ipſis uti aliquo iure, aut contradicere, uel uetare, ne ipſa bona uendantur, & diſtribuantur, & creditori

de ſuo

de suo debito, ac expensis satisfiat infra tertium diem corã Dominis Consulib. debeat comparere cũ suis iuribus, aliter ad vẽditionẽ, & alienationem ipsorũ procedetur secundum formam Statutorum Cõis Coneglani pro solutione, & satisfactione fienda creditori, & interim ipsa bona per ęstimatores Cõis debeãt æstimari, &, si in dictis terminis aliquis comparuerit volens dicere se ius habere in bonis de potioritate iuris, cognoscatur summariè per Dominos Cõsules, absq; multis dilationibus; &, si in dictis terminis nemo cõparuerit cõtradictor, tunc dicta bona incantentur in Platea Burgi Coneglani tribus diebus, cum interuallo tamen dierum trium inter quãlibet incantationem, &, si ipsa bona incãtata fuerint per personam aliquam vsq; ad æstimationem factam per æstimatores Cõis Coneglani, vel vltra, aut saltem vsq; ad quantitatẽ eius, quod fuerit æstimatio detractis de æstimatione decem pro cẽtenario, & in ratione centenarij, tunc plus offerenti dentur, & fiat solutio creditori de debito, & expensis, & si quid supererit detur debitori: si autem nemo dicta bona incantauerit vsq; ad prædictas quantitates, tunc adiudicentur, & dentur creditori in solutum pro suo debito, & expensis secundum æstimationem prædictam sibi detractis de æstimatione decem pro centenario, & in ratione centenarij; dato ẽt per creditorem ipsi debitori si quid superérit vsque ad vnum mẽsem computandum à die dationis in solutũ prædictæ, & exinde in antea emptor, seu ille, cui ipsa bona data fuerint in solutum, verus censeatur dominus, & possessor: si aũt debitor contra quem actor sentẽtiam, vel pręceptum habuerit fuerit absens à Terra Coneglani, & districtu, & petierit à dictis Dominis Cõsulibus de suo debito satisfieri, nec ipse reus procuratorem, si maior fuerit, vel curatorem, si minor erit, non habuerit, tunc Domini Cõsules prędicti debeãt diligẽter se informare de possessionib. & terris ipsius debitoris, & illas possessiones, siue terras suo videre aptas, & idoneas ad debiti satisfactionẽ capi, & intromitti faciant, & procedatur per modũ, vt est dictũ, saluo, q; vbi in primis duab. proclamationibus fiẽdis super Plateis, Castri, & Burgi, statuitur terminus dierũ triũ in tervtranque, in hoc casu statuatur inter vtranq; proclamationem terminus dierum decem.

Ordo

Ordo obseruandus contra conuentum reali actione.

STatuimus, quòd si quis rem aliquam, vel possessionem per aliũ detentam, vel possessam, quę sit æstimationis quinquaginta librarum, vel ab inde infra petere, vel recuperare intendat tanquam suam, possessorem, seu detentorem rei, seu possessionis prędictæ citari faciat personaliter coràm Dominis Consulibus per nuncium Cõis, qui eis declaret causam ob quam citatur, & si quidẽ reus, seu possessor prædictus cõparuerit, interrogetur per Dominos Consules an petita per actorem, seu proposita vera sint, quòd si responderit vera esse procedatur per Dominos Consules prout de iure fuerit procedendum: si autem ea vera esse negauerit, tunc actor, aut suã petitionẽ det in scriptis, aut si voluerit eam in actis scribi faciat per Notarium causæ, & deinde talis quæstio per Dominos Consules absq; magnis dilationib. quàm velocius fieri poterit terminetur. Si verò res, vel possesio pętita fuerit maioris valoris librarũ quinquaginta paruorum, & reus petita confiteatur summariè, & de iure procedatur, vt supra: si autem negauerit, tunc per actorem offeratur reo petitio in scriptis, in qua sufficiat nomen iudicis, actoris, & rei contineri, & id, quod petitur causam propter quam non obstante iure canonico, vel ciuili, & trium dierum ad respondendum petitioni eidem terminus statuatur, ac deinde procedatur in causa ad litis contestationem, & iuramẽtum calumniæ, ac ipsius diffinitionẽ, & terminationem, quàm velocius fieri poterit secundũ causæ qualitatem. Insuper si ter personaliter persona prædicta citata non venerit, vel saltem bis personaliter, & semel ad domũ suæ habitationis, & si personaliter reperiri non posset, vel quia esset absens à districtu Coneglani, in citando talem absentem personã, vel quæ reperiri non posset, seruetur per omnia, & in toto modus citãdi, & terminus supra contentus in statuto de debitoribus absentibus in versiculo, siue paragrapho, quod incipit, Insuper si talis actor comparens ab aliquo debitore suo petierit &c. vti ibidem vsq; ad finẽ ipsius Statuti plenius continetur, & tali reo sic personaliter, vt suprà citato, vel per modum si absens esset, uel reperiri non posset, vt dici

D tur

tur in præfato contineri statuto, & non comparente, Domini Consules, facta eis fide per istrumēta publica, vel scripturam priuatam alias dictam, vel per duos ad minus testes idoneos, dictum actorem induci faciāt per nuncium Communis in possessionem rei petitæ, qui si in possessione rei petitæ sine alicuius personæ contradictione per tres menses extiterit exinde eiusdē rei possessor legitimus cēseatur, iure cuiuslibet super proprietate in ordinario iudicio reseruato. Et si dictus actor in dicta possessione permanserit per dictos tres menses sine contradictione alicuius personę, tūc ad eius requisitionem si maiorem, & plenam firmitatem habere uoluerit, teneantur Domini Consules facere publicè proclamari in Plateis Castri, & Burgi Coneglani per nuncium Cōis tres proclamationes cū interuallo dierum viginti inter quamlibet, q si est aliquis homo, vel persona, quæ velit vti aliquo iure super dicta re, vel possessione de qua dictus actor est in possessione positus, vel vult dicere, vel vetare, ne adhuc pronuncietur per ipsos Dominos Consules ipsum actorē ipsius rei, vel possessionis sic possessæ fore verum dominū, & possessorem infra viginti dies cōpareat coram Dominis Consulibus prędictis, & de iure suo vtatur, & contradictionis causam proponat, & si in dictis terminis nemo contradictor comparuerit, nec aliquo iure vti voluerit super possessionibus, vel re, tunc per ipsos Dominos Consules sententiando pronuncietur ipsum actorem, & possessorē uerum Dominum, ac possessorem esse legitimū, & dominum dictæ rei, uel possessionis sic possessæ, atque detentæ, nulli iure aliquo in ordinario iudicio amplius reseruato, prætequā minoribus, uel mulieribus pro earum dotibus durante matrimonio, uel alijs personis agere non ualentibus ratione iuris adhuc sibi non competentis, qđ tamen eis competere speratur in futurum, quibus prædicta præiudicare non possint: si uerò cōparuerit in dictis terminis aliquis contradictor, uel qui uti uoluerit aliquo iure super dictis re, uel possessione audiatur, & de potioritate iure ordinario procedatur, & terminetur secundum formam Statutorum Communis Coneglani.

De interdictis, & sequestris rerum mobilium.

SI quis dixerit aliquem debitorē suum esse, & allegauerit per sacramentum dictum debitorem personam suspectam, seu fugitiuam, uel recessuram, uel bona immobilia non habere ex quibus de debito sibi possit satisfieri, Domini Consules, coràm quibus deposita quærimonia fuerit sequestrari, uel interdici faciant de bonis dicti debitoris sufficientibus ad dictū debitum si potuerunt reperiri, &, si inueniri nō poterunt, detineatur personaliter ipse debitor, donec vel satisfecerit creditori, aut satisdationem præstiterit de iuditio sisti, & iudicato soluēdo, qua satisdatione præstita reuocetur dictum sequestrum, seu interdictum, relaxetur ipse debitor si captus fuerit personaliter: ipse autē creditor de iure suo probare teneatur infra octo dies postquam sequestrum, vel interdictum factum fuerit, vel ipse debitor captus fuerit, qua probatione facta fiat proclamatio per Præconem Communis super Platea Burgi, quòd si quis vult dicere se ius habere in dicto sequestro infra tertiam diem compareat coràm Dominis Consulibus, & quærimoniam proponat, infra quam si nullus cōparuerit asserens se ius habere in dicto sequestro vendantur res sequestratæ super Platea Burgi, & satisfiat creditori de debito, & expensis, dando debitori, quod supererit. Alioquin si dictus creditor non probauerit, vel in probatione defecerit, condemnetur in soldis viginti paruorū Cōi Coneglani, & nihilominus ei, de cuius bonis sequestratio facta fuerit, vel personaliter detentus in duplum expensarum condēnetur, quas occasione dictæ litis, seu sequestrationis, vel captionis, siue personalis detentionis factæ substinuerit. Ille autem apud quem aliqua bona sequestrata fuerint, ad conseruationem rerum sequestratarū penès eum inuitus vltra duorum mensiū spatium non teneatur, sed ex tūc sit à dicti sequestri nexibus liberatus; etiam si de voluntate creditoris, & debitors fuerit. Et dictæ res sequestratæ remaneant in sequestro, cum intentionis nostræ non sit sequestrum aliquod hujusmodi, nisi legitima interueniente causa per Dominos Cōsules approbata, vltra duorum mensium spatium extendere vires suas.

De excussione bonorum fienda.

SI de cætero Domini Consules alicui Præconi, vel nuncio Cõis commiserint, ꝙ ad petitionem alicuius creditoris debitorem aliquem vadat pignoratum vigore alicuius sententiæ, siue præcepti, aut ad intromittendum, siue sequestrandum de bonis dicti debitoris mobilibus, vel immobilibus, teneatur ipse nuncius Cõis mandatum Consulum sibi iniunctum executioni mandare in, & de illis bonis mobilibus, seu immobilibus, quæ debitor tunc possederit, & si ipse nuncius, vel Preco Cõis retulerit se nõ inuenire aliqua bona, quę posit sine controuersia capi, seu quæ possideãtur per dictũ debitorem, vel eius hæredem dicti Domini Cõsules ad instantiam ipsius creditoris citari faciant duos ex proximiorib vicinis eiusdem debitoris, & extraneos possessores bonorum dicti debitoris, cõtra quos possessores dictus creditor hypothecaria agere intẽdit in defectum bonorum penes debitorem non repertorum, quibus committant, ꝙ infra octo dies simul cum dicto nuncio, siue executore inquirant, & sibi referant si quæ bona dicti debitoris inueniãtur, quę pro pignore, siue controuersia capi posint, & si prędicti vnà cum dicto nuncio executore retulerint non inueniri aliqua bona, tunc per debitorẽ possessa, seu quæ posint sine controuersia capi, prædicti Domini Consules proclamari faciant super Plateis Castri, & Burgi, ꝙ si quis scit de bonis dicti debitoris, quæ non possideãtur per alium, debeant illa notificare Dominis Consulibus infra dies quinque: & tunc verò si aliqua bona expedita reperta non fuerint pronuncient excussionẽ factam esse, & locũ esse hypothecariæ actiõi, & dictus creditor si voluerit super hypothecaria, libellũ offerat extrãeo possessori, & summatim in dicta causa hypothecaria procedatur. Prosit autem exquisitio hæredum alicuius debitoris defuncti, & excussio bonorum eorundẽ omnibus creditoribus dicti defuncti: licet ad petitionẽ vnius solius creditoris facta fuerit: excussio verò bonorum alicuius debitoris viuẽtis facta ad petitionem unius solius creditoris alijs creditoribus minimè prosit.

De mercatoribus, & artificibus, & alijs scribentibus in eorum quaternis.

SI mercator, artifex, vel quis alius scripserit, vel scribi fecerit in libro suo se debere recipere aliquam pecuniæ quantitatem ab aliquo occasione sui mercimonij, vel artis, seu alterius cuiuscunque rationis, vel causæ, stetur dictæ scripturæ cum sacramento, dũmodo dictus mercator, vel artifex, siue quis alius fuerit homo bonæ famæ, & opinionis arbitrio Dominorum Consulum vsq; ad libras quinque paruorum, qui si steterit per triennium, quòd non petierit, uel de suo debito protestatus nõ fuerit, amplius uigore dictę scripturæ petere non pósit, & debeat ipsa scriptura in se annum, diem, & causam continere, propter quam debetur, alias autem ipsa non teneat.

De creditore, qui scripserit solutionem sibi factam.

SI creditor aliquis scripserit, uel scribi fecerit in quaterno suo, uel cedula sua, aut alicuius debitoris sui se recepisse solutionem debiti, uel partẽ ipsius, stetur tali scripturæ, & perinde sit tutus debitor contra eum, ac si de ea quantitate instrumentum finis haberet, hoc intelligendo usque ad summam librarum centum paruorum, uel abinde infra.

De debitore habente instrumenta sui debiti cancellata.

SI debitor penès se habuerit instrumentum debiti cancellatum, uel incisum perinde sit tutus aduersus creditorem pro dicto debito, ac si de illo instrumentum quietationis, uel finis haberet, nisi ipse creditor manifestè probauerit se dictum instrumentum amisisse, uel sine eius uolũtate aliàs ad manus ipsius debitoris peruenisse, & prędicta locum habeant, si debitum fuerit à libris centum infra. Si uerò fuerit librarum centum, uel abinde supra, non posit dictus debitor propterea se tueri, nisi probauerit sibi redditum fuisse dictum instrumentum per creditorem, uel nisi de dicto debito instrumentum finis, uel quietationis habuerit, aut aliam talem probarionem, per quam à petirione dicti debiti idem creditor excludatur.

D 3 In

In debitis verò fœneratorum stetur instrumēto cancellato cuiuscunque quantitatis existat, scilicet, quòd præsumatur debitum solutum, si instrumentum penès debitorem repertum fuerit cancellatum, cum cōditione suprascripta, scilicet, quòd audiatur fœnerator si voluerit probare dictum instrumētum amisisse, vel debitum, siue instrumentum debiti nunquam recepisse.

De exceptione decennali.

CReditor, qui per decem annos continuos inter præsentes steterit, & inter absentes quindecim, quòd non petierit debitū à debitore suo coràm Dominis Consulibus, vel quòd eum citari nō fecerit super dicto debito, intelligatur, & sit ex tunc à iure dicti debiti exclusus: prędicta tamen præscriptio alicui forensi non prosit, qui alicuius ciuis, vel habitatoris Terræ Coneglani, vel eius districtus debitor esset, sed possit ipsa præscriptio opponi contra quemlibet creditorē forensem, qui esset creditor alicuius Ciuis, vel districtualis Terræ Coneglani: præfata autem pręscriptio pupillo non currat, & habeat locum in pendentibus, & futuris, numerando tēpus contentum in instrumento à die solutionis fiendæ.

De creditore, qui plus petierit.

QVicunque plus petierit coràm Dominis Consulibus, quàm re vera recipere debuerit, & interrogatus per Dominos Consules, qui de causa cognouerint an sibi illud, quod petierit, debeatur, & an velit in prædicta eius petitione perseuerare, & responderit, quòd sic, condemnetur pro qualibet libra, & in ratione libræ eius, quod indebitè, vel plus petierit, in soldis tribus paruorum, cuius pœnæ medietas sit Communis, reliqua eius à quo petitum fuerit, & prædicta pęna locum non habeat in hæredibus creditorū, nisi saltem semiplenè probatū fuisset eos sciuisse de solutione dicti debiti, vel parte ipsius. Intelligendo si id, quod petetur erit debitum pecuniarium, vel res aliquę mobiles, cum immobilibus sibi locum pœnam prædictam vendicare non velimus, & teneantur ipsi Domini Consules talem, vel tales sic petentes condemnare, ut dictum

ctum est, ante finem eorum officij, tempore quo alias condemnationes publicabunt sub illa totidem pecuniaria pęna communi applicanda, in qua plus petens condemnari debuisset, & nihilominus præfatus condemnandus, vt dictum est, Communi, & illi, à quo petebat, vt dictum est, sit, & remaneat obligatus.

Super exceptionibus friuolis productis.

QVicunq; in aliqua parte iudicij aliquam friuolam, vel calumniosam exceptionem proposuerit, vel produxerit, condemnetur pro qualibet ipsarum exceptione, in soldis decem paruorũ: & friuola, seu calumniosa exceptio intelligatur quælibet, quæ probata proponentem non releuaret. Saluis maiorib. pœnis in Statutis contentis, cuius pœnæ medietas sit Communis, alia medietas partis aduersæ.

De instrumentis amissis reficiendis.

SI creditor coram Dominis Consulibus petierit sibi refici aliqđ instrumentum ex quo habeat aliquem obligatum eo quòd alleget ipsum perdidisse, prædicti Domini Cõsules citari faciant illum quem dixerit se obligatum habere, ut infra tertiam diem cõpareat ad contradicendum, si vult opponere, ne dictum instrumentum reficiatur, qui si in termino comparuerit, & aliquam exceptionẽ per quam uires dicti instrumẽti tollantur opponere voluerit, statuatur sibi terminus decem dierum ad opponendum, & probandum dictã exceptionem, vel alia, quæ voluerit pro iure suo, alioquin si non cõparuerit, vel comparens non opposuerit, vel probauerit aliquid, q̃ dictum instrumentũ ex toto elidere seu tollere habeat, prædicti Domini Consules recepto sacramento creditoris, quòd instrumẽtum amiserit illud sibi refici faciant, & si in dicto termino trium dierum non comparuerit ad contradicendum, ne dictum instrumẽtum reficiatur, tunc iterum personaliter citetur, quòd infra tertiam diem debeat comparere, si vult contradicere, ne ipsum instrumentum reficiatur, quo sic citato in primo, & secundo termino non cõparente, prædicti Domini Consules recepto sacramẽto creditoris, quòd in-

instrumentum amiserit illud sibi refici faciant, &, si in secundo termino comparuerit, tũc procedatur, vt supra in primo termino continetur.

De præscriptione possessionum, vel rerum immobilium.

SI quis possederit rem immobilẽ pacificè, & quietè bona fide, & iusto titulo per se, vel auctorem suum, à quo causam legitimã habuerit per decem annos inter præsentes, & quindecim inter absentes. Intelligatur deinde, ac sit ipsius rei immobilis sic possessæ verus Dominus, & possessor, adeò, quòd de dicta re possessa quis alius quęstionem mouere volens iure dominij, vel proprietatis sibi spectantis nullo modo audiatur, nisi ille talis agere volens ius obligationis in dicta re se habere prætẽderet, in quo casu audiatur, nisi tempus annorum decem præterierit à die quo debitum & ius suum petere potuit: si verò quis aliquam rem immobilem possederit bona fide etiam sine titulo pacificè, & quietè per quindecim annos cõtinuos inter prę̀sentes, vel viginti inter absentes: deinde habeatur, & sit idem talis ipsius rei sic possessæ, verus dominus, & possessor, & de ipsa re sic continuò possessa quis alius volens postea litem, vel quæstionem, aut cõtrouersiam per se, vel per alium de iure, vel de facto mouere de dominio, vel proprietate ipsius rei nulla ratione, vel causa audiatur, & hoc locum habeat in præteritis, pendentibus, & futuris. Intelligantur autem præsentes omnes, qui habitant in Diœcesi Cenetensi: Saluo, quòd hoc Statutum non præiudicet minoribus annorum vigintiquinque, sed, cum ad ipsam ętatem deuenerint, pręscriptio ipsa cõtra prędictos currere incipiat, nec pręiudicet dotibus mulierum, quæ post mortem mariti cum suis filijs, vel nepotibus, aut hęredibus mariti defuncti, vel cum alijs, qui sint sibi pro suis dotibus obligati habitauerint, donec ipsæ mulieres se ab eis separauerint, nec etiã in legatis eis per maritos suos relictis. Item non habeat ipsum Statutum locũ in rebus immobilibus, quæ restitutioni subiacent, aut ex pacto, aut ex testamento, seu quocunque alio modo, iure, vel causa, donec ipsius rei conditio maneat in pendenti, sed, cum casus conditionis aduenerit, tunc præscriptio in-

dicta recurrere incipiat, vt supra in alijs dictum est. Item non vendicet sibi locum ipsum statutum in vijs publicis, rebus Communis, & in bonis Ecclesiarum.

De cessione bonorum.

DEbitor volens cedere bonis audiatur, & cessione facta non possit ex tunc pro debito personaliter detineri, dummodo dicta cessio facta fuerit in Consilio generali Communis Coneglani, in quo Consilio ad minus esse debeant vigintiquinque Consiliarij. Cum autem debitorem aliquem cedere bonis contigerit teneatur uestes omnes, & alia bona, & res, quas habuerit dimittere, & relaxare creditoribus suis in dicto Consilio, ac etiam ibi nates nudas vicibus tribus percutere in terram, dicendo, cedo bonis, & deinceps sit à priuilegijs, & honoribus Communis exclusus, & non possit habitare in Terra Coneglani, nec in Burgis, donec suis creditorib. satisfecerit. Nulli autem prosit cessio in præiuditium Communis Coneglani. Si verò ille, qui prædictam cessionem fecerit postea ad pinguiorem fortunam peruenerit nihilominus non obstante dicta cessione per ipsum facta creditoribus ad debitum suum, vel ad residuum debiti teneatur.

De mulieribus personaliter non detinendis, nisi ex maleficio, vel debito Communis.

MVlier aliqua in carcerem poni non possit, vel alibi personaliter detineri, nisi prò criminali, vel ex maleficio, vel debito Communis. Saluo, quòd ipsa mulier, quæ fuerit debitrix alicuius possit expoliari vsque ad interulam, & panni, & omnia alia eius bona possint distribui, & dari pro solutione suorum debitorum ipsis creditoribus suis semel, & pluries vsque ad integram solutionem.

De positionibus, siue capitulis.

SI positiones, uel capitula per aliquam partem in iuditio producta fuerint Domini Consules, qui de causa cognouerint iustificent dictas positiones, præsentibus aduocatis partium, uel ipsis partibus si adesse uoluerint, quibus iustificatis recepto sacramento ponentis,

nentis, quòd iustè, & rectè ponere credat, ac etiã sacramento eius, qui respondere debuerit de veritate, seu credulitate dicenda, respõderi faciant dictis positionibus, & sufficiat si respondendo dixerit se credere, vel non credere, nec audiatur respondens si dixerit in facto proprio dubitare: Si verò super facto alieno positio facta fuerit, & is, qui debuerit respondere super eo facto dixerit se nescire, vel dubitare, statuatur sibi terminus arbitrio Dominorum Cõsulum ad respondendum dictæ positioni cum deliberatione. Cæterum possit positionibus responderi per Procuratorem, dummodo in instrumento mandati contineatur, quòd possit specialiter positionib. respondere, & si aliquid positum fuerit, cuius dicatur principalẽ personam melius habere cognitionem, possit cognitor causæ monere dictum Procuratorem, vt infra certum diem arbitrio ipsius cognitoris faciat principalem personam ad respondendum dictę positioni personaliter comparere. Alioquin ex tunc si principalis non uenerit reputare possit dictam positionem, vel capitulum pro confesso, si eum uiderit calumniosè, vel malitiosè morari. Et idem intelligatur vbicunque aliquis à iudice monitus capitulo, uel positioni respondere noluerit. In responsionibus autem huiusmodi Domini Consules ab esse faciant Aduocatum, & Procuratorem respondentis, ita, q super responsione eum instruere minimè possint.

De productione instrumentorum.

SI quis ex litigatoribus produxerit aliquod instrumentum in iuditio D. Consules, qui de causa cognouerint concedi, & dari faciant aduersario petenti copiam ipsius, & terminũ statuant ad opponendum contra illud si terminus petitus fuerit: detur autem copia actorum, vel instrumentorũ, quæ ad legitimationem pertinent personarum sine die, & Consule, nisi fortè ille, qui copiam dicti instrumenti petierit professus fuerit in iudicio se uelle arguere dictũ instrumentum de falso, quo casu copia ipsius instrumenti cum die, & Consule concedatur, & postquam dictã copiam habuerit, teneatur infra quindecim dies continuos intentionem suam probasse super falso, alioquin si non probauerit condemnetur in libris quinquaginta Communi Coneglani. De

De testibus examinandis.

TEstibus productis, & iuratis in causa teneantur Domini Consules, si per se eorum dicta non poterunt commodè recipere, committere examinationẽ, seu receptionem eorũ alij, uel alijs partibus non suspectis, & cõmissione facta teneatur ille, uel illi, quibus dicta commissio facta fuerit fideliter audire, & recipere dicta, & attestationes eorum secundum interrogatoria partis aduersæ iustificata prius per Dominos Consules, præterea teneãtur ipsi dicti examinatores super singulis capitulis, uel articulis distinctè requirere, & recipere in scriptis dicta, & attestationes prædictas interrogando semper de causa scientiæ, nec scribant talis dixit, ut supra in tali capitulo, uel talis dixit ut talis. Et si prædicta, uel aliquid prædictorum aliter facta, uel commissa fuerint habeantur pro non examinatis, & de nouo examinentur, & recipiantur per alios eligendos per Dominos Consules expensis eorum, qui prius eos, ut supra negligẽter receperant, ante tamen quam partes dicta eorum didicerint, & Domini Consules, qui de causa cognouerint antequam testes publicentur attestationes eorum inspicere teneantur si prædicta forma est in examinatione seruata.

De iureiurando.

IN qualibet parte iudicij possit iusiurãdum deferri à parte parti, uel à iudice parte uolente, & approbante, & ille cui delatum fuerit dictum sacramẽtum iurare teneatur, uel iusiurandum referre aduersario, qua relatione facta is, cui relatum sacramentum fuerit, iurare omnimodò teneatur, si ipse cui refertur actor fuerit repertus in illo.

De Ciuili, & Criminali quæstione in eodem libello, & tempore terminanda.

POssit Ciuilis, & Criminalis actio, & quæstio in eodem libello simul, & eodem tempore intentari, & in eadem instãtia finiri.

De

De compromisso fiendo inter coniunctas personas.

SI quæstio, vel lis aliqua fuerit inter coniunctas personas vsque ad quartum gradum inclusiuè teneatur Domini Consules, coram quibus quæstio mota fuerit, compellere dictas partes eligere duos bonos homines, videlicet, vnum pro parte, in quibus cōpromittere teneantur super dicta quęstione, uel lite de iure, & de facto, sine strepitu, & figura iudicij. Quod si partes in electione arbitrorum concordes esse non possent, receptis confidētibus ab vtraque parte Domini Consules habeant arbitrium eos eligendi, & idē dicimus si dicti arbitri in pronunciando inter dictas partes cōcordes esse non possint, quod pręfati Domini Consules eligendi tertium arbitrium habeant partibus non suspectum, & stetur sententia maioris partis eorum, à qua nec appellari possit, nec peti, ad arbitriū boni viri reduci.

De consilio Sapientis habendo.

POssint D. Consules super diffinitiua, uel quolibet alio emergenti dubio Sapientem non suspectum partibus consulere, & assumere, expensis Communibus partium, & si ab aliquo processu iudicis ante latam sententiam aliqua partium dixerit se grauatam, & super hoc postulauerit consilium Sapientis, possint Domini Cō sules dare consilium Sapientis alicui partium non suspecti expēsis eius, qui illud petierit, quod consilium prædicti Domini Consules sequi teneantur, & debeant; & hoc Statutum in Ciuilibus tantum causis vendicet sibi locum.

De appellationibus.

INsuper ordinamus, quòd singulo anno per dies quindecim ante Kalendas Februarias in maiori Consilio Terræ Coneglani per scrutinium eligantur quatuor boni, & sufficientes viri, duo scilicet de Castro, & duo de Burgo, qui in causis appellationum cum Domino Capitaneo Coneglani, qui pro tempore fuerit adesse debeāt, & in illo officio durare vsque ad unum annum; & si contigerit aliquem

quem de sententia aliqua per D. Consules lata, vel alios officiales Cõis Coneglani iurisdictionem habentes se grauari, dummodò illa sententia, aut præceptum, si præceptum esset, maioris foret summę librarũ decem par. ꝙ possit ab ipsa sentẽtia, siue pręcepto se ad præfatum D. Capitaneum, & dictos quatuor Sapientes electos appellare infra decem dies à die quo lata fuerit sẽtẽtia, vel præceptum factũ, si fuerit in Terra Coneglani, uel districtu talis appellãs. Si verò talis appellãs non fuerit in Terra Coneglani, vel districtu, possit appellari infra dies viginti proximè secuturos à die sẽtẽtiæ latę. Et in prędictis casib. prędicti appellãtes prosequi dictã appellationẽ debeãt corã dictis D. Capitaneo, & Sapientib. electis infra dies 30. ꝓximè uẽturos à die appellationis prędictæ: elapso autẽ dicto termino, & eo appellationem nõ prosequẽte, dicta appellatio nullius sit ualoris: si nanq; appellationem appellãs fuerit prosecutus pręfatus D. Capitaneus, & iam dicti quatuor Sapientes diligẽter, & maturè audiant, & recipiant iura partis utriusq;, & quę dicere, & proponere uoluerint ubicunq;, & quãdocunq; dieb. feriatis, & non feriatis sine superfluis dilationibus, & si talem sentẽtiam, uel præceptum factam, seu factum inuenerint præfati, uel maior pars eorũ contra ordines, siue statuta Terræ Coneglani, tunc dictã sententiã, siue præceptum in cõtinenti faciãt incidi, & annullari, & illam pronunciẽt nullius esse roboris, uel momenti. Si aũt deficientib. statutis in causa, de cuius sentẽtia fuerit appellatum, illa huiusmodi sententia, siue præceptũ facta, siue factum fuerit contra ordinẽ iuris Ciuilis, ẽt modo cõsimili incidi debeat, & annullari, & nullius fore roboris pronũtiari; & in hoc casu possint ipse D. Capitaneus, & Sapiẽtes prædicti consiliũ perquirere sapientis expẽsis partium, & uti consuluerit idẽ Sapiens sic ad diffinitionẽ procedatur, & pars in appellatione succũbens in omnib. expẽsis legitimis in ipsa appellatione factis alteri parti obtinenti condẽnetur, & ẽt in soldo uno paruorũ pro singula libra quantitatis pecuniæ, uel æstimationis rerum mobilium, siue immobilium in sententia, siue præcepto contentæ, vel contentarũ, quæ æstimatio rerum per æstimatores Communis fieri debeat, & pœna ipsa dicti soldi paruorum pro libra inter ipsum Dominum

Capitaneum, & prædictos Sapientes, & officiales æqualiter diuidatur.

De ferijs.

NEmo vocetur ad iudicium, seu alicui ratio, vel ius reddatur in die Dominico, vel à festo Sancti Thomæ Apostoli vsque ad Epiphaniam, neque in festiuitatibus Sãctæ Mariç, duodecim Apostolorum, quatuor Euangelistarum, Sanctorum Doctorũ, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij, & Augustini; Sãcti Bernardi, Sancti Leonardi, Sancti Titiani, Sancti Io. Baptistæ, Sancti Clementis, Sancti Francisci, Sancti Dominici, Sancti Marci, Sancti Martini, sãcti Lazari, Sancti Antonij, sancti Siluestri, sancti Blasij, sancti Viti, sancti Georgij, sancti Stephani, sancti Vindemiani, sancti Dionysiij, sancti Laurentij, sancti Christophori, sancti Michaelis, Cathedræ sancti Petri, sancti Benedicti, à Dominico Oliuarum vsq; ad octauam Paschæ. In die Inuentionis sanctæ Crucis, vel Ascẽsionis Domini. Pentecostes cum duob. diebus sequentib. In festo Corporis Christi. A festo sancti Barnabç usq; ad quindecim dies post festum sancti Petri. In die vincularum sancti Petri. In festo sãcti Nicolai; sãcti Saluatoris. In die decollationis sancti Io. Bapt. & exaltationis sanctæ Crucis. A festo sãctç Mariç mensis Sept. vsq; ad dies quindecim mensis Octob. Tribus dieb. ante festũ omnium sanctorum, & tribus post ipsum festũ. In festiuitatib. sanctç Catherinæ, sanctæ Margaritç, sanctç Agathç, sãctç Helenç, sanctæ Luciæ, sanctç Mariæ Magdalenç, sãctæ Agnetis, sanctæ Vlianæ, sãctæ Vrsulæ: possint tamen tẽpore feriarum, quæ ad honorem Dei, uel sãctorũ, siue sanctarũ inductæ non sunt renuntiari, & agitari quæstiones de operib. de affictibus, pẽsionib. partiarijs, decimis, maricijs, represalijs, de datijs, & collectis, & factis villarũ. Item posșint omni tẽpore cognosci, & terminari lites, quæ essent de vindemia, vel propter vindemiã, vel de alijs fructib. quæ possent momento perire: posșintq; dicto tẽpore fieri sequestra, & interdicta, & executiones cuiuslibet sententiç, siue præcepti: saluo, ꝙ dicto tempore posșit reddi ius cuilibet forensi usq; ad summam quinque librarum.

De

De expensis reficiendis.

TAm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus causis victus victori in expensis legitimis taxandis per Iudicem, qui de causa cognouerit, condemnetur; & si condemnatus nõ fuerit, habeatur pro condemnato, nisi per Iudicem in sententia absolutus fuerit ab expẽsis. Idem seruetur quotiẽs aliquis prouocauerit aliquem inique ad iudicium, & constet Iudici, qui condemnet eum dãno, & interesse, vel vbi aliquis contumax post vltimam citationem comparere noluerit, quo casu expensas per aduersarium factas post primam citationem secundum taxationem Iudicis restituere teneatur.

De personis in iudicio non esse valentibus.

FIliusfamilias sine patris consensu non possit suo nomine comparere in iudicio, nisi in causa castrensis, vel quasi castrensis peculij, & in causis maleficiorũ, & nisi dictus filiusfamilias publicus mercator fuerit, vel publicè, vt paterfamilias se exercuerit.

Quando minor in iudicio esse potest.

MInor annorum vigintiquinque curatorem generalẽ, vel specialẽ habens, non possit iudicio adesse sine curatoris sui auctoritate. Si verò curatorem aliquem non habuerit, possit per se, cum procuratore simul, & per Procuratorem solum esse in iudicio, dummodò corporaliter iurauerit in principio causę se firmum habiturum, quod factum fuerit in iudicio etiam contra eum, vel quod per Procuratorem suum gestum fuerit. Pupillus verò nullo modo sine tutoris auctoritate in iudicio comparere possit, & sit præcisum teneatur Procurator dicti adulti iurare in lite vtilia facere, & inutilia prætermittere, ut de iure tenetur, & debet curator minor annorum uigintiquinque.

De instrumentis rescribendis in actis.

QVicunque nomine alieno ad iudicium interuenerit teneatur in actis scribi facere instrumentũ suæ procurariæ, sindicariæ, tutellæ, actoriæ, vel curæ distinctæ cum subnota Notarij, qui illud scripserit, & donec illud sic scribi nõ fecrit habeatur, ac si in iudicio non fuisset, & processus factus ad eius instantiam nullius sit momẽti, & prædicta locum habeant in quæstionibus ascendentibus summam librarum vigintiquinque paruorum, & abinde supra. Abinde verò infra sufficiat reperiri in actis de productione instrumẽti, hoc addito, ꝙ si steterit per Notarium causæ post productionem instrumẽti à parte in iudicio factam, ꝙ non scripserit in actis, & distinctè registrauerit, vt dictum est, tunc eo casu Notarius ad omnia damna, & expensas teneatur ipso iure, & hoc statutum non habeat locũ in Procuratore, qui satisdederit rem ratam dominum habiturum, quo casu sufficiat si fideiussio in actis scripta reperiatur, & idem intelligatur in defensore, qui satisdedit de defendendo, & iudicato soluendo.

De fideiussione præstanda, & forenses in causa reconuentionis, & per clericos in omni causa.

SI forensis aliquis agere voluerit contra aliquam personam de districtu Conegladi in iudicio, non audiatur nisi idoneam cautionem præstiterit de reficiendis expensis si eum in causa succumbere contigerit, & de soluendo iudicatum in causa reconuentionis si eum sub eodem iudice reconuenire voluerit, quam reconuentionem facere teneatur infra tertiam diem à die præstitæ securitatis numerandam, uel infra maiorem terminum vti Dominis Consulibus uidebitur attenta qualitate facti, dicendo statim tempore securitatis petitæ corãm Dominis Consulibus causam, quare ipsum actorem uult reconuenire, & quantitatem, quam uult ei petere, iurando etiam, quod non calumniosè, nec animo calumniandi dicit ipsum uelle reconuenire, & intelligatur forensis quicunque non substinens onera, & factiones Terrę Coneglani, exceptis salariatis Cõis, familiaribus Ciuium, & stipendiarijs,

si qui ad stipendium in Coneglano morarentur, qui pro forensibus in hoc casu non habeantur. Cæterũ, quæ dicta sunt supra de forensi intelligantur, & obseruẽtur in clericis quibuscunq; contra ipsos ciues agere uolentibus, qui non solum cautionem prædictam prestare teneantur, sed ẽt idoneum fideiussorẽ præstare, qui suo nomine in iuditio posit conueniri si Ciuis aliquis, uel subditus Terre Coneglani à dicto clerico aliquid de iure petere posset, & uellet.

De inhibita alienatione minoris.

MInor annorum uigintiquinque, etiam quatuordecim maior non habens curatorem, non posit res suas immobiles alienare, nec aliquo modo cõtrahere, uel se obligare, nisi alienatio, uel contractus, uel obligatio ipsa facta fuerit coràm Dominis Consulibus, & eorum auctoritate, & cum consensu duorum de melioribus propinquis ipsius, si propinquos habuerit, & per eũdem minorem iuratum fuerit in contractu. Si uerò curatorem habuerit posit alienare, & contrahere cum auctoritate curatoris sui, & Dominorum Consulum, ac duorum propinquorum eius prædictorum, & aliter non, etiam si in contractu dixerit, uel iurauerit se maiorem, uel contractum non uenturum. Et prædicta locum non habeant in mulieribus, quæ renunciant bonis, & iuribus sibi competentibus in hæreditate paterna, & materna, propter dotes sibi constitutas.

Quando filiusfamilias se obligare, vel alienare potest.

FIliusfamilias nullo modo posit se obligare, nec aliquid alienare sine consensu patris, aui, vel proaui, in cuius potestate fuerit, & si aliter factum fuerit, talis obligatio, vel alienatio non teneat cõtra eum ipso iure, quod locum non habeat in causis maleficiorum, neque in causa castrensis, vel quasi castrensis peculij, vel quando dictus filius maior vigintiquinque annorum publicus mercator fuerit, quo casu in præiuditium sui dicta obligatio, & alienatio valeat, & intelligatur publicus mercator quicunq; in Terra Coneglani sic fuerit reputatus, dummodo probatum fuerit per tres testes bonæ famæ eum sic reputatum tempore dicti contractus.

De personis bona aliqua pignorare non valentibus.

NVllus de cetero à filiofamilias, vel à seruo, siue à mercenario, famulo, vel famula alterius, aut ab aliqua alia persona potestati alterius subiecta res aliquas in pignus accipiat, & si quis contrafecerit, & de hoc exposita fuerit quærimonia per patrem, vel dominum illius, qui obligauerit dictum pignus, Domini Consules sine strepitu, & figura iuditij dictas res restitui faciant sine aliqua solutione dicto patri, vel Domino affirmanti per sacramẽtum dictas res pignoratas ad se pertinere, & pignoratas fuisse sine cõsensu, & voluntate ipsius, dummodò idem pater, vel dominus fuerit bonæ famæ, arbitrio Dominorum Consulum terminandæ, & prædicta non vendicent sibi locum in forensibus.

Quando mulier se cum viro obligare potest, & non.

MVlier virũ habens non possit se obligare alicui personæ, nec iuri suarum dotium renũtiare, nisi ex iusta, honesta, & rationabili causa approbata prius per Dominos Consules, qua causa per dictos Dominos Consules approbata, vt superius dictum est, dicta mulier valeat obligari, & etiam iuri suarum dotium renuntiare.

Quod vxores rusticorum cum suis viris se valeant dominis possessionum obligare.

CVm oporteat Ciues Coneglani propter paupertatem, vel rusticorum necessitatem, & aliorum laboratorum prouidere, & subuenire colonis, & laboratoribus suarum possessionũ, de bestijs, blado, plaustris, ferramentis, pecunia, & alijs necessarijs ad culturã terræ, ne eorum possessiones, & terræ remaneant incultæ, & non laboratæ. Statuimus, & volumus, quod vxores prædictorum in obligationibus, quas prædicti laboratores facerent, & facient ciuibus antedictis Coneglani eorum dominis pro solutione, & satisfactione, siue restitutione dictarum rerum, possint se obligare cum dictis eorum viris, & per se in prędictis casibus renũtiare iuri pignorum, & hypothecæ, quod dictis vxoribus competeret, vel competere posset in rebus mobilibus tantum dictorum virorum suorum, exce-

ptis

ptis vestibus de dorso ipsarum mulierum, in quibus modo aliquo se obligare, vel renuntiare non possint.

De rebus immobilibus, & possessionibus non vendendis alicui forensi.

VOlentes nostræ Communitatis, & subditorum indemnitatibus prouidere, hac prouida lege duximus statuendũ, vt nulli nostrorum ciuium, vel subditorum Terræ Coneglani, de cætero liceat aliquam possesionem, vel rem immobilem sub iurisdictione Terræ Coneglani positam vendere, alienare, infeudare, alliuellare per modum aliquem, nec alio modo in alium transferre, qui non sit ciuis, vel suppositus iurisdictioni Terræ prædictæ, nisi hoc processerit de voluntate, & licentia maioris partis maioris & generalis Consilij dictæ Terræ Coneglani, & si secus factum fuerit, vel alienatum, dicta alienatio non valeat ipso iure, & nihilominus alienãs, & ille in quem alienatio facta fuerit prædicta condemnetur Cõmuni Coneglani in libris vigintiquinque paruorum pro quolibet, & qualibet vice, & in casibus supradictis, & quolibet supradictorum cuilibet sit licitum accusare, & manifestare Dominis Cõsulibus tales alienantes, & habeat tertiam partem condemnationis prædictę & teneatur in credentia, & ad pœnam huius Statuti non teneatur aliquis ciuis, uel districtualis Terrę Coneglani, qui in vltima uoluntate possesionem, vel rem aliquam immobilem alicui forensi reliquerit.

De notificatione alienationum possessionum fienda agnatis, & collateralibus.

ITem statuimus, quòd si qua persona nostri districtus Coneglani aliquam possesionem, uel rem immobilem uendere uoluerit alicui, exceptis forensibus in suprascripto Statuto cõtentis, seu infeudare, vel alliuellare, antequam ad actum finalem dictæ vẽditionis, infeudationis, uel alliuellationis deueniat, teneatur & debeat manifestare, & denuntiare agnatis suis masculis tãtum vsq; ad quartum gradum, & eisdem, uel alteri eorum proximiori, uel proximioribus de gradu in gradum procedendo, ita ut semper priores in gradu cæteris præferantur, dictam possesionem, uel rem immobilem dare

pro

pro tanto pretio, quantum ab alia extranea persona habere potuerit, dummodò talis agnatus sic requisitus infra quintamdecimam diem numerandam à die ipsius denunciationis factæ illam rem, vel possessionem sic venditam, infeudatam, vel alliuellatã pro illo pretio, vel conditione accipiant, super quo si Domini Cõsules fuerint requisiti, teneantur inquirere veritatem, tàm per sacramentũ alienantis, quàm per sacramentum extraneæ personæ supradictæ; & si dicti agnati, vel eorum aliquis dictam possessionem per modum suprascriptum in se transferre noluerint, tũc si possessio ipsa fuerit in Terra Coneglani, vel in Burgis, siue circhis dictus alienãs requirere teneatur personam, vel personas possessionem, seu possessiones habentes magis collaterales dictæ possessioni, quam vendere, vel infeudare, siue aliuellare uoluerit, & eisdem personis, uel alteri eorum, cui uoluerit dare, & tradere teneatur secũdum modum suprascriptum in agnatis, & si per ipsum uenditorem prædictis agnatis, & ipsis nolentibus, uel deficientibus collateralibus denunciatum, & manifestatum non fuerit, ut supra, postquàm ipsa uenditio, infeudatio, uel alienatio facta fuerit per publicum instrumentum, iuxta ordinem iuris Ciuilis, sit saluũ, & reseruatum dictis agnatis primò, exinde ipsis collateralibus posse usque ad menses sex numerandos à die cõfectionis instrumenti dictæ uenditionis, infeudationis, uel alienationis, comparere coràm Dominis Consulibus, & petere ipsam possessionem, sic alienatam cum illa cõditione sibi dari, & hoc si tales agnati, & collaterales erunt præsentes: sin autem absentes essent, tunc usque ad unum annum eorum ius eis sit in casibus prædictis saluum, & reseruatum: elapsis autem dictis terminis nullus audiatur superinde.

De vsurarijs, & quando quis censeatur publicus vsurarius.

QVicunque pecuniã crediderit, seu mutuauerit sub usuris singulariter, seu diuisim tribus personis, & ab ipsis singulariter usuras exigerit, publicus usurarius præsumatur, dummodò ipsę tres personæ sint fide dignæ.

Quod

Quod de vsuris nulli vsurario ius reddatur nisi pacto cum Communi.

VOlentes insuper multorum deceptionibus, & fraudibus obuiare hoc præsenti Statuto decernimus. Quod nulli publico vsurario prædicto per Do. Consules ius reddatur, nisi de puro, & vero debito, prout ipsis Dominis Consulibus verè constabit: de vtilitate autem aliqua vsuraria nullum audiant vllo modo. Et si sententia, vel præceptum aliquod factum esset aliter superinde nullius valoris existat. Hoc tamen excepto, quod si vsurarius aliquis cum Commune Coneglani cōuentionem, vel speciale pactum haberet, tunc conuentiones, & pacta sic cum eo habita debeāt ei inuiolabiliter obseruari.

Quando debita vsuraria censeantur.

ITem ordinamus, quòd si quis ex vsurarijs prædictis comparuerit coràm Dominis Consulibus petens ab aliquo aliquam pecuniæ quantitatem vigore alicuius instrumēti debiti, vel depositi, seu alicuius obligatorij instrumenti, exceptis sententijs, vel præceptis factis per Consules, habeantur, & reputentur ipsa talia instrumenta vsuraria esse, & debitum purum, & verum fuisse medietas eius quantitatis in dictis instrumentis contentæ, & vigore dictorum instrumentorum non reddatur ei ius, nisi de medietate in eis contenta, vt est dictum.

Qui vsurarij contractus intelligantur.

INtelligantur contractus vsurarij, & in fraudem vsuræ scripti omnes contractus, qui loquuntur de vino, vel frumento deposito, & similibus, & hoc si creditor, vel depositor tempore contractus vsurarius fuerit.

De eisdem.

ITem intelligatur contractus vsurarius si quis vsurarius emerit ab aliquo possessiones, vel domos, & venditori dictas res restituere permiserit, & nisi talis contractus celebratus fuerit inter affines

nes usque ad tertium gradum, quo casu usurarius non intelligatur. Si autem talis contractus inter affines celebratus non foret, possit coràm Dominis Cõsulibus cum eorum auctoritate etiam inter extraneas personas celebrari.

De eo, qui sine cessione agere potest.

SI quis dederit, cesserit, aut promiserit, uel se obligauerit alicui recipienti nomine alterius, possit ille, cuius nomine recepta fuerit datio, cessio, promissio, uel obligatio agere ex tali cessione, promissione, uel obligatione suo nomine etiam nulla cessione sibi facta ab eo, qui prædicta receperit.

De procuratione, siue actione non sumenda contra Commune Coneglani.

NOn liceat alicui Ciui, uel subdito Terrę Coneglani recipere ex aliqua causa iura, uel actiones cõtra Commune Coneglani, uel aliquem contractum facere in damnum dicti Communis, & si secus facta fuerit talis cessio, uel cõtractus, nullius sit roboris, uel momenti, nõ liceatque alicui ex prædictis postulare, seu aduocare, patrocinare, uel procurare cõtra Commune Coneglani, uel in eius præiudicium pro aliquibus forensibus, uel Cõmunitatibus, uel domino, siue dominis sub pœna librarum uigintiquinque paruorum pro quolibet, & qualibet uice in omnibus casibus suprascriptis, in quibus fuerit contrafactum.

De actionibus forensium non acquirendis contra Ciues, nisi in casibus.

NVllus etiã de Terra Coneglani, uel districtu aliquod ius, uel actionem ex aliqua causa acquirere, uel accipere possit ab aliquo forense contra aliquem Ciuem, uel districtualem dictæ Terrę, nisi fortè dictus forensis haberet aliquas possessiones in Terra Coneglani, uel districtu, quas uenderet dicto Ciui, uel districtuali, & emptori iura cederet, quæ in dictis possessionibus haberet, uel nisi dictus forensis haberet obligatos in uno instrumẽto plures de Terra, uel districtu, & ab aliquo ex debitoribus solutionem debiti recepisset, quo casu soluenti possint cedi actiones cõtra reliquos obli

gatos

gatos, & non soluentes; saluo, quod cuiliber affini vsque ad gradũ tertium sit reseruatum posse accipere à prædictis suis affinibus iura quælibet.

De fructibus dotium marito spectantibus.

FRuctus dotis contracto matrimonio cedant, & pertineant ad maritum, idem ẽt intelligatur de sponso, qui sponsam suam in eius domũ transduxerit, & intelligatur spõsa etiam si infans fuerit.

De eodem.

SI constante matrimonio maritus receperit fructus, aut redditus de bonis paraphrenalibus, aut quocunque modo spectantibus ad vxorem, non possit ipse, aut eius hæredes ad restitutionem ipsorum fructuum, vel redditũum, seu æstimationis eorum cõpelli. Idem si sponsus receperit fructus, aut redditus bonorum pertinentium ad sponsam suam, dummodò in domum dicti sponsi transducta sit, & cum ea in eadem domo moretur.

De vestibus, & ornamentis sponsarum.

NOn liceat alicui de cætero ducenti nurum, vel vxorem expẽdere in vestibus, vel alijs iocalibus, & ornamentis nuptialibus pro dorso ipsius nurus, vel vxoris omnibus computatis vltra libras tricentas paruorum. Et si quis contrafecerit, in libris viginti-quinque paruorum condemnetur. Cæterum si quis post matrimonium contractum dare voluerit ipsi nurui, vel vxori vltra vestes, quas habuerit tempore nuptiarum aliam robam, siue vestimenta non possit in illis expendere vltra libras ducentas paruorũ, sub pœna prædicta committenda totiens, & exigenda quotiens fuerit cõtrafactum, & possit quilibet accusare, & habeat dictæ pœnæ medietatem, & sub silentio, atque credentia teneatur.

De consuetudine Marchiæ Taruisinæ seruanda super incontris dotium.

SI contigerit vxorem in matrimonio præmori marito suo, vel maritum præmori vxori, sine cõibus hæredibus ex eis descendentibus

dentibus. Iubemus pacta tã habita super dote, q̃ donatione lucranda obseruari. Si uerò pacta aliqua inita non fuerint super aliqua parte dotis, uel donationis lucrandæ, tunc consuetudinem Marchiæ Taruisinæ uolumus obseruari, scilicet de medietate dotis, & donationis lucrandæ per iugalem superuiuentem, & præsens Statutum uendicet sibi locum in præteritis, pendentibus, & futuris.

De intrantibus Monasterium, vel se Deo dedicantibus.

QVæcunque persona intrauerit Monasterium aliquod, vel se Deo dedicauerit, possit Monasterio in quod intrauerit dare, atque donare vsque ad summam librarum ducẽtarum paru. In cæteris autem bonis tẽpore vitæ suæ sit, & esse debeat talis persona vsufructuaria, tàm in mobilibus, quàm in immobilibus. Ipsa autem moriente, sexta pars ipsorum bonorum, tàm mobilium, quã immobilium, de quibus retinuerit vsufructum perueniat, & peruenire debeat in dictum Monasterium. Reliquæ autem partes quinque ipso iure perueniant, & peruenire debeãt in proximiores agnatos ipsius talis personę, si agnatos habuerit, quibus deficiẽtibus cognati proximiores in ipsa successione præferantur, & admittantur.

De Religiosis succedere non valentibus.

ITem statuimus, q̃ Monacus, vel Monaca, siue alia quæcunque persona religiosa, vel in Monasterio aliquo professa tacitè, vel expressè non veniat, nec modo aliquo venire possit ad successionẽ aliquam alicuius hæreditatis paternæ, vel maternæ, vel cuiuscunq; conditionis existat, nec per ipsum patrem, uel matrem, seu personã aliquam eisdẽ talibus religiosis personis possit legata aliqua dimitti in rebus mobilibus, uel immobilibus iure proprio: possint tamen fieri, & dimitti talibus personis legata in rebus immobilibus, cum conditione, quod usufructum solum in eorum uita habere possint, & debeant. Ipsis autem morientibus dominium, & proprietas ipsarum rerum, & possessionum legatarũ reuerti debeat ad illos, quos testator ordinauerit, uel ad quos iure competeret ipso Monasterio pœnitus excluso.

De

De successione Sacerdotum.

INsuper ordinamus, qđ si quis decesserit intestatus relictis duobus, vel pluribus filijs masculis tantum, seu nepotibus, vel pronepotibus ex se descendentibus, in quorum filiorum, nepotũ, uel pronepotum numero sit aliquis in sacerdotio, vel sacris ordinibus constitutus, præfatus sacerdos, vel in sacris ordinib. constitutus ad successionem talis patris defuncti, vel aui, seu matris, vel auiæ æqualiter cum alijs non succedat, nisi in illa parte legitimæ, in qua de iure succederet, & sibi spectaret; & quæ dicta sũt de successione patris, vel aui, matris, vel auiæ, intelligantur etiam in successionibus fratrum ab intestato, vt si alter fratrum sine liberis legitimis ab intestato decederet superstitibus duobus, vel pluribus fratribus, seu filijs fratrum, vno ex prædictis in ordine sacerdotij, vel sacris ordinibus constituto, admittatur ille sacerdos huiusmodi ad dicti fratris hæreditatem defuncti, nisi in illa parte legitimæ, quæ, si pater eius fuisset, sibi de iure deberetur. Verum si aliquis ex omnibus prædictis intestatus decederet relicto solo filio Sacerdote, nullis existentibus alijs filijs masculis, vel nepotibus, aut pronepotibus ex se descẽdẽtibus, vel si frater aliquis decederet relicto solo fratre Sacerdote, nec alijs fratribus, vel filijs fratrum, in hoc casu talis sacerdos ad successionem bonorum prædictorum patris, uel aui, uel proaui, seu fratris, uel filiorum fratris admittatur pleno iure.

De reddenda administratione Tutorum, & Curatorum.

TVtores, & Curatores generales singulis annis teneantur reddere rationem administrationis suæ pupilli, vel adulti, quorũ tutellam gesserint, siue curam in præsentia Dominorum Consulũ, vel duorum eorum ad minus, qui interesse suo sacramento debeãt, & in præsentia saltem duorum de melioribus propinquis dictorum pupilli, siue adulti si haberi poterunt, sub pœna librarum decẽ paruorum pro qualibet vice, qua prædicta facere omiserint. Et si ipsi attinentes haberi non poterunt loco eorum, ipsi Domini Consules duos idoneos, & legales uiros assumere debeant. Et nihilominus

finito officio tutellæ, vel curariæ, quilibet tutor, uel curator teneatur eisdem, quorum gesserint tutellam, vel curam, ex integro rationem reddere de administratis per eos, & quæ de corũ bonis penes eum erunt integrè de præsenti restituere. Saluo, quod tutores testamentarij qui à testatoribus in testamentis absoluti fuerint à confectione inuentarij fienda, & ratione administrationis reddenda ad id ipso iure compelli non possint: sed testamenti ac vltimæ voluntatis ordo seruetur. Curator datus ad lites inuentarium facere non teneatur.

De affictibus, & pensionibus.

SI quis habuerit colonum, uel inquilinum, uel liuellariũ, seu partiarium, à quo debeat pensionem uel affictum uel decimã, siue partem aliquam recipere. Domini Consules corã quibus querimonia deposita fuerit, teneantur, & debeant facta sibi fide per sacramẽtum domini, testes, vel instrumenta de pensione, vel affictu sibi debito eum facere pignorari, vel personaliter capi pro dicta pẽsione, vel affictu, siue decima, vel parte, donec domino satisfecerit, aut idoneam cautionem præstiterit de soluendo infra decem dies tunc proximè subsequẽtes. Et si aliquis ex dictis colonis, inquilinis, liuellarijs, vel partiarijs opponere voluerit exceptionem aliquam per quam dominus à petitione excludatur dicti affictus, pensionis, partis, vel decimæ, non restituatur sibi pignus, vel de dictis carceribus relaxetur, nisi dicto domino satisdederit de soluendo, & de reficiendis expensis si infra terminum decem dierum, vel plurium arbitrio Dominorum Consulum exceptionem propositam non probauerit.

De liuellarijs, & colonis.

STatuimus, ꝙ omnia pacta, & conuentiones in instrumentis liuellarijs, emphiteotecarijs, & alijs locationib. apposita, inuiolabiliter obseruentur, ad quarum omnium prædictarum cõuentionum obseruationem plenariam sine strepitu, & figura iuditij præfati Domini Consules partes compellere teneantur.

De

De liuellis, siue locationibus ad non modicum tempus recognoscendis ab emptoribus dominis, & è conuersò.

SI liuellum, vel locatio alicuius rei ad non modicum tempus, s. annorum decem in alium legitimè peruenerit, teneatur ille, in quem dictum liuellum, seu locatio peruenerit recognoscere liuellũ, seu dictæ rei locationem, & inuestiturã recipere ab illo, cui ius proprietatis pertinet vsq; ad tẽpus in instrumentis ipsius liuelli, uel locationis contentum, & è conuersò dominus teneatur recognoscere illum, in quem dictum liuellum, vel locatio ad non modicum tẽpus peruenerit, & eidem inuestiturã facere dictæ rei sub pactis modis, & conditionibus, sub quibus prima concessio, vel locatio facta fuerat, dummodò alienans conditionem domini sui deteriorem non faciat, in quo casu ad renouationem liuelli, seu locationis dominus minimè teneatur.

Quod liuellarius, vel rem habens ad non modicum tempus conductam ius suum vendere volens domino proprietatis denuntiare teneatur.

SI contigerit liuellarium, emphiteotam, seu aliquem rem aliquã ad non modicum tempus conductam habentem ius, quod haberet in ipsis iuribus liuellarijs, vel rebus conductis vendere velle, teneatur talis liuellarius, vel colonus prius domino denũtiare proprietatis dictæ rei, & seruare omnia pacta in instrumẽtis liuelli, uel locationis contenta; & si pacta superinde aliqua scripta non essent, teneatur talis, vẽdere volens, facta domino notitia, & denuntiatione, ius, quod habet in dictis rebus, sibi dare, & uendere pro illo precio, quod ab aliquo alio habere potest. Et si talis vendere volens ipsum dominũ in manifestatione huiusmodi deceperit, dicens se plus habere posse eo, quod potest, alienatio dictæ rei in alium facta perinde habeatur, ac si facta non fuisset; & nihilominus dictus liuellarius, uel conductor à iure, quod prius in dicta re habuerat, ex tunc, si dominus uoluerit, sit & intelligatur exclusus, & de ipsa denũtiatione, uel ueri precij manifestatione, & à quo, vel quib. habere potest. teneatur alienare uolens legitimam facere probationẽm, ac dominus dicti liuelli similiter omnibus prædictis.

De arboribus non incidendis per liuellarios, vel colonos sine licentia domini.

NVllus liuellarius, emphiteota, uel quis alius cōductor audeat vel præsumat incidere à pede, vel cauare, seu aliter deuastare aliquam arborem fructiferam, vel ad laborerium, siue ædificium aptam, de possessione, quam habuerit ad liuellum, vel aliter conductam, nisi de voluntate dicti domini dictæ rei; quod si dominus renuerit, vel non consenserit sit Dominorum Consulum arbitrio an incidere debeat decernendum. Et si quis contrafecerit perinde puniatur, ac si prædicta in possessione alicuius extranei commisisset.

De vitibus, & oliuis plantandis.

TEneatur liuellarius emphiteota, seu colonus, singulis annis plantare quinque pedes oliuarum, & quinquaginta pedes vitium cum totidem plantinis in quolibet manso quem ad liuellum, vel aliter habuerit conductum: dum tamen ipse mansus sit ad plantandum aptus, & congruus, sub pęna librarum quinque paruorum. Et de plantatione oliuarum intelligatur de possessionibus sitis in monte, & ad id aptis; teneantur autem dicti liuellarij, seu coloni, vel agricolæ benè, & fideliter laborare, sappare, & colere possessiones, vel mansos, quos ad affictum, vel laborandum haberent temporibus consuetis, & congruis. Et si secus fecerint omittendo prædicta, vel aliquod prædictorum soldos quadraginta Cōi cōponant, & nihilominus damna, & interesse reficiant, quæ huiusmodi facto domini possessionum passi fuerint, saluis semper pactis, & conuentionibus in instrumentis appositis.

De domibus in conzo tenendis per liuellarios, vel colonos.

QVilibet liuellarius, colonus, vel inquilinus, seu habitator, teneatur, & debeat domum, quam ad liuellum, vel aliter conductam habuerit tenere in conzo, & circa eam talem diligentiam habere, qualē haberet quilibet bonus homo, si ad ipsum iure proprio pertineret, in pœna soldorum cētum paruorum, & refectione damnorum, & interesse.

Quod

Quod dominus possit eligere partem vini in vuis, & blada in paleis.

SI dominus, qui recipit medietatem vini, vel aliam partem elegerit velle partem suam in vuis, teneatur liuellarius, seu colonus vindemiare, & portare partem vuarum domino contingētem ad quencunque locum ipse dominus voluerit, in villa tamen vbi habitauerit ipse liuellarius, uel colonus, & postquam dominus ipsas vuas follari fecerit, teneatur dictus liuellarius, vel colonus vinum redactum ex dictis vuis portare ad domum domini, perinde ac si dictum vinum fullasset, & hoc intelligatur ipso domino manēte vbicunque in districtu Coneglani: alias autem ad Terram Coneglani conducere teneatur, nisi per pactum aliud interuenerit, & quæ de vuis dicta sunt intelligatur si dominus medietatem, vel aliam partē bladi recipere debuerit, & partem suam in campo, uel paleis uelle se elegerit, in pœna soldorum centum paruorum in omnibus, & singulis casibus prædictis, quibus contrauentum fuerit, uel commissum, non obstantibus aliquibus pactis in contrarium.

Quod liuellarij, vel coloni, non possint fullare vuas, nec triturare blada spectantia domino, nisi in sua, vel sui nuncij præsentia, nec vitiare vinum, vel vuas fraudare.

NOn liceat alicui liuellario, uel colono, qui reddit medietatē, uel aliam partem bladi, uel uini battere, siue triturare, uel auētare bladum, seu uētolare, uel follare uinum, de quo reddit partem domino, nisi in præsentia domini, uel eius nuncij specialis; & si cōtrafecerit in libris decem paruorum condemnetur, cuius pœnæ medietas sit Cōis, & alia medietas domini prędicti, & eadem pœna teneatur quicunq; ex prędictis liuellarijs, uel colonis dolosè omiserit uindemiare aliquas arbores, seu plantatam. Idem & in eo, qui uitiauerit, uel fraudauerit uinum, de quo reddit fictum, uel partem, & nihilominus ad damni emendationem plenissimè teneatur.

Quo tempore, & qualiter soluantur bladorum affictus.

QVilibet liuellarius, uel habitator, siue colonus, qui reddit affictū alicui domino, uel liuellū quoquo modo teneatur dare,

150

& reddere grossilia domino vsq; ad festũ Sancti Laurentij. Minuta verò vsq; ad festũ Sancti Martini, intelligẽdo grossilia, frumentũ, siliginem, ordeum, speltam, auenam, fabam, & oĩa legumina, exceptis fasolis. Fasoli verò, surgum, mileum, & panigium; minuta intelligantur. Et dare teneatur ipse liuellarius, siue colonus blada prędicta secundum conuentiones, & pacta, benè munda, & sicca. Et de blado quolibet caluеam primam culmam, & quicunq; omiserit prędictos affictus, vel redditus reddere, vt est præmissum, in soldis viginti paruorum condemnetur, cuius pœnę medietas sit Cõmunis, & reliqua domini, & damnum, seu interesse, nihilominus integrè reficere teneatur.

Quando ad dominum ius liuellarij, aut conductoris alterius ob maleficium reuertitur.

SI liuellarius, vel emphiteota, aut conductor, qui reddit certum fictum, vel pensionem, tale crimen omiserit, propter quod bona tale maleficium committentis deberent publicari, vel destrui, possessio, quam dictus malefactor in emphiteosim, vel aliter cõductam tenebat, ad liuelli, seu proprietatis dominũ liberè reuertatur, nec possint occasione dicti maleficij destrui, vel incidi domus, nec arbores, quæ super dicta fuerint possessione.

De habentibus in socedam animalia non valentibus ea, vel eorum fructus sine licentia domini diuidere, vel alienare.

SI quis boues, vel alia animalia, quæ in socedam, vel aliter conducta habuerit ab aliquo vendiderit, vel alienauerit in totum, vel in partem, ex tunc sit priuatus à iure, quod in dictis animalib. habebat, & alienatio non teneat ipso iure, sed animalia ipsa ad dominum proprietatis perueniant, & nihilominus dictus conductor in soldis centum paruorum condemnetur Cõi, nec sit licitũ alicui partiario, vel in socedam habenti capretos aliquos, agnos, lanam, vel caseum diuidere, vel alienare absq; præsentia domini dictarum bestiarum, vel eius nuncij, aut licentia ipsius domini, & volũtate, nec in eis aliquam fraudem committere; & si secus in aliquo casuum supradictorum per dictum partiarium factum fuerit, condemnetur

Com-

Communi in tantum quantum fuerit valor rei fraudatę, vel alienatæ, & ad tantundem domino dictæ rei, cui domino licitum sit diuisionem dictarum bestiarũ facere in prædictis alienatione, uel fraude reperta, ac etiam si ex necessitate per Consules approbata eundem oportuerit dictarum bestiarum partem alienare, & hoc locũ habeat in pendentibus, & futuris, & damnum domino etiam emẽdare teneatur.

De instrumentis liuelli, vel locationis soluendis per conductores.

TEneatur liuellarius, vel emphiteota, & quilibet alius conductor facere fieri duo instrumenta in publicam formam de dicto liuello, vel conductione suis expensis, quorum vnum pro se retineat, & aliud domino rei dare teneatur.

Ex quibus rebus decima debeatur, & quantum.

QVilibet liuellarius, vel colonus, vel quis alius, qui de aliqua terra debeat reddere decimam, teneatur de omnibus frugibus, seu fructibus perceptis ex dicta terra reddere decimam partem domino dictæ decimæ, excepto quàm de pomis, piris, castaneis, & cæteris alijs fructibus arborum similibus. Idem intelligatur de animalibus perceptis, seu natis super dictam terram cum determinatione sequenti, videlicet, pro poledro, siue poledra, mulo, vel mula, soldos decem paruorum. Pro uitulo, siue vitula soldum unum. Pro asino, uel asina, soldos duos. Pro agno, uel capreto pro quolibet paruos octo: si fuerint à quinque infra. Si uerò fuerint quinque, medium agnum, vel capretum, & sic ascensiuè de alijs animalibus quibuscunque.

De decimis ad domini libitum eligendis.

POssit dominus decimæ, si voluerit, eligere decimam sibi debitam in paleis, aut cadastonibus, uel in grano, aut cõcolis & vt ei melius placuerit, sic debens dare teneatur sub pœna soldorum centum paruorum, quod etiam de fœno intelligimus obseruari.

Quis

Quis modus in designando Decimas, vel Quartesia debeat obseruari.

QVilibet præstare debens Decimã, uel Quartesiam teneatur antequam leuet bladum, seu fruges, uel fructus de campo, & de area denuntiare collectori dictæ decimæ, uel quartesij, ut uadat ad dictam decimam capiendam, siue quartesium. Et si dominus prædictorum collectorem non habuerit ipsi, denuntiet, ut per se, uel per alium interesse debeat ad prædicta capiendum antequã de campo, & area leuentur; & si talis dominus non uenerit, nec miserit, tunc prædictus decimam, seu quartesium reddere debens ad esse faciat in dicto campo, & area duos ex suis uicinis, coram quib. decimę, seu quartesia diuidantur, & illa quartesia, & decimas saluet dummodo de area acceperit donec dominus, uel collector eam acceperit: blada nanque decimarum, uel quartesij in cãpo diuisa, periculo domini subiaceant; & si quis contrafecerit condemnetur in soldis centum paruorum, quorum medietas sit Communis, & reliqua domini prælibati.

De decimis hortorum.

QVicunque præstare debens decimã de aliqua domo, uel horto, dum tamen sit medij iugeris tantum, teneatur quolibet festo Sancti Laurentij dare domino pro decima prædicta unũ bonum pullum; & si domus unà cum horto, uel area esset ultra medium iuger, ultra pullum prædictum de quibuscunque nascẽtibus, ut supra, decimam soluere teneatur; de ceppis quoque, ac similiter aleis, & contrafacientes in soldis uiginti paruorum condemnetur, quorum medietas sit Communis, & reliqua domini prælibati, & nihilominus damnum integrè reficere ipsi domino teneatur.

De fraudantibus Decimas, vel Quartesia.

SI contigerit aliquem Decimam, uel Quartesium dare debentẽ fraudare dictam decimam, uel quartesium aliquo modo, puniatur, & condemnetur in soldis centum paruorũ, cuius pœnæ medietas sit Cõis, & alia domini dictæ decimæ, uel quartesij, & damnum integrè reficere teneatur.

De

De colonis licentiandis, & quo tempore.

SI dominus expellere, seu licentiare voluerit aliquem colonum, vel habitatorem suum de possessione, quam ab eo tenuerit, teneatur per se, uel per nuncium suum licentiare dictum colonũ, vel habitatorem per tres menses ante festũ Sancti Petri de Iunio quandocunque voluerit, quod si non fecerit non possit ex tunc illum vsque ad annum vnum expellere; & si colonus, uel alius habitator super dicta possessione stare noluerit, vel illam amplius habere cõductam, domino denuntiare debeat per tres menses ante festum dicti Sancti Petri, vt supra. Et si dictus colonus, vel habitator prædictã denuntiationem non fecerit, intelligatur dictam possessionem tacitè pro anno sequenti reconduxisse eisdem conuẽtionibus, sub quibus ipsam prius possessionem habuerat. Cæterum si dominus colonum, uel alium habitatorem licentiauerit, aut idem colonus, uel habitator à se ipso comeatũ acceperit, idem dominus habere debeat omnes paleas, segallidam, panigale, sorgale, & cætera stramina cuiuscunque conditionis super dicta possessione nata, seu producta, & letamen quod fuerit in dicta possessione repertum, & quæ de paleis dicta sunt etiam de adorco intelligatur: immò, & de fœno in casu, quo idem colonus, seu habitator infra octo dies ab introitu mensis Iulij ipsum fœnum non seccuerit, nisi causa iusti impedimẽti interuenerit per Dominos Consules approbanda: sique dictus colonus, uel habitator contrafecerit in asportando, uel vendendo de paleis, & alijs antedictis, condemnetur in soldis quadraginta paruorum Communi Coneglani, & integraliter damnum, & interesse domino reficere teneatur.

De letamine non portando extra terras mansorum, vel non vendendo.

QVicunque laborauerit terram, vel possessionem alterius teneatur, & debeat totum letamen, & stramen, quod factum fuerit sup dicta possessione, vel terra trahere, & portare super terram prædictam, seu possessionem, nec possit, nec liceat sibi dictum letamen, uel stramen alibi, seu in alijs terris ponere, aut quouis

quouis modo vendere, uel alienare alicui personæ sine domini parabola, atq; licentia, sub pœna soldorum centum paruorũ pro qualibet vice, & quolibet contrafaciente, cuius pœnæ medietas sit Cõmunis, & reliqua accusatoris, & nihilominus domino ad damnum & interesse teneatur, & de prædictis credatur sacramento domini, si fuerit bonæ famæ.

De laborerijs, & sepibus non remouendis per colonos de possessionibus recedentes.

SI contigerit colonum, uel habitatorem expelli, vel licentiari, vel aliter recedere de possesione alterius, nõ posit, nec liceat sibi tollere, vel mouere opus, si quod in domibus, uel tegetibus positis supra possesionem fecisset, nec sepes, siue pallatas, nec pro dicto opere aliquid posit à domino petere; & si contrafecerit in soldis viginti Communi condemnetur, & damnum domino reficere integrè teneatur. Cæterum, si voluerit, posit in arsemina seminare vnum iuger milij, & decem concolos raparum tantum.

De bonis colonorum specialiter dominis obligatis.

INsuper ordinamus, quòd omnia blada, uinum, primaqua, omnesque fruges, & stramina, & alia quæcunque nata, & prouenta in possesione alicuius personæ per colonum aliquem, seu habitatorem ad liuellum, vel affictum detenta, vel aliter conducta sint & esse debeant principaliter obligata dominis dictæ possesionis, seu terræ alicuius pro eorũ affictibus, & debitis contractis per ipsos habitatores quomodocunque, & quandocunque, non obstantib. dotibus alicuius mulieris, nec debitis aliquibus antea cõtractis aliter; & quæ de ipsis bladis, vino, & cęteris dicta sunt, intelligãtur de animalibus quibuscunque, quæ penès ipsum habitatorem, seu colonũ reperirentur, vel penès eius hæredes post mortem eius, dummodò illa animalia in socedam ab aliquo alio non habuerit, vel aliter conducta, vel specialiter obligata per instrumentum, quo casu iura illorum, quorum sunt ipsa animalia, sint eis reseruata. Intelligantur autem, & sint ipsis dominis possesionum obligata omnia instrumenta apta ad terræ laborerium, vti rastra, ligones, plaustra, & similia.

In

In cęteris autem ipsorum colonorum bonis praeferantur illi, qui potiora iura habere videbuntur.

De non obseruantibus promissa in laborerijs fiendis, & alijs.

STatuimus autē, quòd si quae persona promiserit alicui pro certa die, seu hora aliquam operam personalem praestare, tàm in stando, quàm eundo, uel laborando tàm cum persona, quàm etiā cum animalibus, uel alijs rebus quibuscunq;, & die, uel hora statuta iuxta conuentionem, uel promissionem non uenerit, steterit, uel laborauerit, seu iuerit, condemnetur illi, cui praedicta promiserit in duplo illius quod pro eius labore conuentum fuerit, & si cōuentio facta non fuisset in duplo eius quod rationabiliter pro eius labore habere debuisset, & nihilominus si quid ab ipso, cui aliquid sic promiserit, recepisset, illud etiam eidem integrè restituere teneatur.

De publicis Villarum discernendis.

ORdinamus, quòd Communia, & homines Villarū districtus Coneglani singulis quinque annis debeāt diuidere, & discernere Territoria, & Regulatus Villarum suarum, & dicta Territoria, & Regulatus cuiuslibet Villae, in pęna, & banno cuilibet dictorum Cōium, quod praedicta facere omiserit librarum vigintiquinque paruorum; & Merici, ac homines ipsarum Villarū teneantur de dictis diuisionib. fieri facere publica instrumēta subdicta pęna.

De modo obseruando in diuisione praedicta, si oriretur aliqua quaestio.

SI quae Vniuersitas, vel Cōe alicuius Villae districtus Coneglani voluerit cognoscere, seu discernere aliquod publicum dictę Villae à priuato, seu terra priuati, vel à publico alterius Villae, & super hoc Dominos Consules interpellauerit, teneantur statim sine strepitu, & figura iuditij compellere partes ad eligendum quatuor bonos homines, duos scilicet pro parte, qui dictorum locorum notitiam, ac experientiam habeant, & eos, prius praestito sacramento de benè, & legaliter decernendo, & terminando dictas res, compellere ad terminationem, & diuisionem de dictis rebus faciendum.

Et

Et si prædicti electi super dicta diuisione, seu terminatione concordes esse non poterunt, prędicti Domini Consules quintum bonum hominem ex officio suo assumere teneantur, & illud quod maior pars eorum dixerit, vel terminauerit plenam firmitatem obtineat. Idem seruetur etiam si contentio fuerit de confinibus, seu terminis aliquarum rerum inter personas priuatas, aut inter Commune Coneglani, & Commune alicuius Villæ, vel loci, vel aliquam priuatam personam.

De vijs, & pontibus per communia Villarum in conzo tenendis.

TEneantur quęlibet Cõia Villarum districtus Coneglani pontes, stratas, & vias publicas, & alia publica in Regulatib. suis tenere curatas, & mundas; ita, quod liber sit additus, seu transitus cuilibet volenti, sub pœna librarum decem paruorum pro quolibet Cõi, & qualibet vice, qua prædicta facere recusauerit, vel omiserit; & nihilominus damnum; si quod per aliquem passum fuerit causa prædicta eidem restituere teneantur, & de pręmissis Domini Consules inquirere teneantur.

De possessionibus publicis Villarum non alienandis, & de modo diuisionis fructuum earum.

NOn liceat alicui Communi, vel hominibus alicuius Villæ districtus Coneglani, aliquas possessiones, vel pascua, seu publica, vel guizas eiusdem Villæ in toto, vel parte vendere, vel obligare, seu affictare, vel aliter alienare, sub pœna librarũ vigintiquinque paruorum pro quolibet Communi, & contrafaciente, & qualibet vice, ad quam pœnam incurrat etiam ille, cui ipsa alienatio, obligatio, vel affictatio facta fuerit; & si casus occurrerit dicta Cõia Villarum aliquas ex prædictis possessionibus, seu pascuis, uel guizis Cõis diuidere inter se, quod cuilibet existenti, & habitanti in ipsis Villis, dummodo substineat onera, & factiones cum suo Cõi secundum eorum conditionem, & ratam, partem suam dare, uel designare teneantur; & si contigerit mansum aliquem, in quo consueuerit habitari colonus, uel habitator aliquis fore incultum, & inhabitatum

bitatum teneatur Commune ipsius Villæ domino, cuius fuerit dicta possessio inhabitata, dummodò fuerit Ciuis Terræ Coneglani, aut sustineat onera, & factiones cum aliquo communi Villarum districtus Coneglani, dare, & partem suam consignare, & si non fecerint, & ipsam partem domino, vt dictum est, non consignauerint, condemnetur pro qualibet uice in libris quinque paruorum; & nihilominus partem domino prædicto contingentem, integrè reficere teneatur.

De via possessioni non habenti designanda per terram alterius.

SI quis possessionem aliquam habuerit, ad quam non possit haberet aditum, seu uiam, nisi per terram, uel possessionem alterius, teneatur Domini Consules ad instantiam eius, qui petierit ei, concedi aditum, seu uiam per terram, seu possessionem uicini, eligere duos bonos homines de Villa, in cuius Regulatu dicta possessio sita fuerit, ac eis committere, quod ex sacramento fideliter, & diligenter inquirent; & declarent per quem locum habilius & cōmodius pro utraque parte possit ei dari, seu concedi uia, qui super hoc petierit, & pro quanto, seu quo pretio, uel mercede fieri debeat cōcessio dictæ uiæ; & quicquid per dictos duos homines factum fuerit firmum maneat.

Quòd ius eundi per alienas terras, probetur debitum, siue concessum, per testes, vel instrumenta.

SI Commune, uel Vniuersitas alicuius Villæ, aut alia quæcunq; persona prætēderit, uel allegauerit se habere ius eundi, uel aliā seruitutem per terram, uel possessionem alterius, non audiatur super dicta seruitute uel iure, nisi probauerit legitimè per instrumentum, uel testes, dictum ius, uel seruitutē sibi uel actori suo, aut Vniuersitati uel Communi ipsius concessam, seu cōstitutam fuisse à domino possessionis, uel terræ, in qua prætendit ius, uel seruitutem prædictam, nec sufficiat, quod per se uel actores suos usus fuerit continuè per trigiuta annos, & ultra dicta seruitute, uel iure, & habeat locum in præsentibus, & futuris.

G De

De vijs aliquibus, & callibus non occupandis.

NOn liceat alicui viam communem, vel aliquod publicum, seu viam, vel callem, per quem alius habeat ius agendi, vel eundi, occupare, claudere, aut deuastare, quominus ille, qui ius habuerit eundi, agendi, vel per dictam viam, vel callem ire, vel agere posſit, in pœna ſoldorum quadraginta paruorum pro quolibet, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum.

Qui Maſſarij, & repetini intelligantur, & quantum eis competat oneris.

QVilibet ruſticus, vel habitator diſtrictus Coneglani, qui labo rat duodecim iugera terrę aliena, vel abinde ſupra, habeatur, & intelligatur pro vno Maſſario, quantum ad ſubſtinendum onera, & factiones communis Villæ, in qua habitat. Qui verò labo rauerit à duodecim iugeribus infra gradatim, & deſcenſiuè vſq; ad ſex iugera, teneatur ſuſtinere, & ſupportare onera, & factiones dictæ Villæ ſuæ pro medio Maſſario. Qui autem ſex iugera, vel ab inde infra, aut nihil laborauerit, aut ad laborandum habuerit, habeatur pro repetino, quantum ad dicta onera, & factiones ſuſtinendas, & ſupportandas. Et quatuor repetini ad dicta onera ſupportandan teneantur pro vno Maſſario.

De factionibus ſuſtinendis per ruſticos, cum Villa, de qua receſſerit vſque ad feſtum Sancti Martini.

SI contigerit aliquem colonum, ſiue ruſticum, vel habitatorem Terræ Coneglani, vel eius diſtrictus ire ad habitandum in aliā eiuſdem diſtrictus villam, teneatur talis ruſticus, vel habitator face re, & ſuſtinere onera, & factiones cum & in illa Villa, de qua receſſerit vſque ad feſtum Sancti Martini proximè ſubſequentis. Poſt verò dictum feſtum Sancti Martini, teneatur, & debeat facere, & ſuſtinere omnia onera, & factiones cum ipſa villa adiuerit habitan dum.

FINIS SECVNDI LIBRI.

STATVTORVM CONEGLANI LIBER TERTIVS.

De Testamentis, & vltimis voluntatibus.

SI hæreditas ex testamento, vel alia ultima uoluntate, aut ab intestato ad aliquem deuoluta fuerit, teneantur Domini Cõsules, coràm quibus petitũ fuerit, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij, illum ad quem talis hæreditas deuoluta fuerit, ponere, seu induci facere in possessionem earum rerum, quas defunctus habuerit, vel tenuerit tempore mortis suæ; & possessio, vel quasi possessio, quæ erat apud defunctum, incontinenti, & immediatè eo defuncto intelligatur ad hæredem transmissa, & apprehensa per eum: ita tamen, quod per hoc nõ intelligatur se immiscuisse hæreditati, vel eam adiuisse, quò minus possit abstinere, vel repudiare vsque ad duos menses cõputandos à die petitæ per eum hæreditatis, vel per se apprehensę, infra quod tempus dictus hæres teneatur incipere, & complere inuẽtarium secundum dispositionem iuris Ciuilis, & prædicta minoribus non præiudicent, in quibus simpliciter ius commune seruetur.

De conditionibus, & iuramento non ponendis in testament is quo minus aliud condere quilibet minimè possit.

NOn possit aliquis condens testamentum aliquam conditionem, vel iuramentum in dicto testamento inserere, per quã, seu per qđ sibi deroget, seu necessitate astringat, quò minus aliud testamentum solenne facere possit, & huic statuto etiam per pactum renuntiari non possit.

Quod fœminæ cum masculis ad successionem non admittantur.

CVpientes locupletes habere subiectos, & aggregationib. mulierum facultates non minui masculorum, hac prouida lege duximus statuendum. Quod si quis decesserit ab intestato superstite relicto filio, vel filijs, nepote, vel nepotibus, pronepote, vel pronepotibus, vel deinceps alijs masculis per masculinam lineam descendentibus ad tales supradictorum deferantur successiones. Et φ filia, vel filiæ, neptis, vel neptes, & deinceps aliæ mulieres ex tali persona mortua descendentes, & illę per masculinam lineam coniunctæ ad successionem non admittantur defunctæ personæ cum vno, vel pluribus masculis supradictis. Cæterum ne dictæ filiæ, vel neptes, & deinceps aliæ descendentes videatur omni suffragio destitutæ, eisdem taliter prouidemus; Quod si quam dotem competentæ fuerint habuisse de bonis defuncti, illæ in dictis bonis debeant esse contentæ. Et si nulla dos data fuerit pro eis habere possint de bonis defunctæ personæ illud solum, quod duo eius coniuncti ex parte patris ex proximioribus, & duo ex proximioribus ex parte matris, si commodè haberi possint, concorditer fuerint arbitrati. Inter quos, si qua discordia fuerit, iudicium, & auctoritas Consulū, qui pro tempore fuerint, requiratur, & ipsorum dicto pareatur. Etsi puella, seu mulier talis, spreto matrimonio, aliam vitam elegerit, quid, & quantum de bonis defuncti ei sit tribuendum prædictorum coniunctorum iudicio similiter relinquatur.

De fratribus præferendis ab intestato matri defunctæ personæ, & quantum matri debeatur.

SI quis decesserit ab intestato relicta matre, & fratre, seu fratribus, vel filijs fratris, seu fratrum in stirpem, & non in capita, in tali successione præferatur frater, seu fratres matri defuncti: ita tamen, quod de hæreditate dicti defuncti perueniat ad dictam matrem tertia pars eius, quod de dicta hæreditate fuisset habitura de iure, quàm tamen tertiam partem in vita, vel in vltima voluntate alienare non possit, sed post dictæ matris mor-

tem

mortem sine diminutione aliqua ad dictum fratrem, vel fratres, seu hæredes eorum ex ipsis fratribus descendentes redeat ipso iure. Sed si quis decesserit relicto fratre, vel fratribus, sorore, vel sororibus, prædicti frater, aut fratres à dicta successione excludant prædictam sororem, aut sorores, nisi in quarta parte eius, quod dicta soror, vel sorores habituræ de iure fuissent in dicta hæreditate. Si verò quis decesserit relicta matre, & sorore, aut sororibus, eo casu prędicta mater in bonis defuncti æqualiter succedat cum sorore, vel sororibus defunctæ personæ.

Quota pars hæreditatis possit naturalibus tantum liberis per testatorem relinqui.

SI ex aliqua defuncto supererit filius legitimus, & naturalis, aut filij legitimi, & naturales, & filius, vel filij naturales tantũ possit pater in testamento relinquere filio, vel filijs naturalibus tantũ, duodecimam partem bonorum, quæ tempore mortis habuerit. Si verò decesserit relicto filio, vel filijs naturalibus tantum; & fratre, vel fratribus, vel filijs fratrum legitimis tantũ, possit relinquere dicto filio, vel filijs naturalibus, quartam partem bonorum suorum; & hoc idem intelligatur si is, de cuius successione tractabitur ab intestato decesserit, vt in dicta quarta parte succedant, & nõ vltra; & si contingat ipsos filios naturales tantum decedere sine hęredibus legitimis ex ipsis descendentibus, nõ possint ipsi dicta bona, quæ habuerint de hæreditate paterna ab intestato solummodo in sua vltima voluntate alijs relinquere, seu legare, quàm proximioribus dicti quondam sui patris.

Quod mulier habens filios, nepotes, vel pronepotes, non possit nisi quartam suorum bonorum partem, cui voluerit relinquere.

MVlier habens filios, nepotes, uel pronepotes, vel alios descẽdentes vnũ, vel plures, nõ possit ex testamento, vel alia vltima volũtate de bonis suis relinquere, nisi filijs, nepotibus, vel pronepotibus, & deinceps vni, vel pluribus descendentibus ex ea, nisi quartam partem bonorum suorũ, cui, vel quibus voluerit. Cessantibus verò descendentibus ex ea, & ascendentibus, si collaterales

habuerit vsq; ad tertium gradum inclusiuè, possit cuicunque relinquere medietatem bonorum suorum, & non vltra.

Quando mulier bonis suæ hæreditatis in testamento potest dare curatorem.

POssit mulier habens filios, & uirum suspectum, de cuius suspitione sit arbitrio Dominorum Consulum terminandum an sit suspectus habendus, uel non, de bonis dictæ mulieris, ne possint dilapidari ipsa bona per uirum eius antedictum, in testamẽto suo eisdem bonis curatorem dare, usufructu dictorum bonorum, nihilominus semper ad patrem spectante.

De diuisione hæreditatis fienda inter fratres, & nepotes ex fratre, & de expensis in studio factis reficiendis.

STatuimus, quòd si quis decesserit intestatus relictis duobus, uel pluribus filijs legitimis masculis, seu nepotibus ex filio, si filij tantum extabunt legitimi ad successionẽ patris, pariter admittantur. Si autem ipsis filiis legitimis, & naturalibus extantibus etiã nepotes ex filio, uel filijs dimiserit: tunc etiam præfati nepotes ex filio, uel filijs cum alijs dicti defuncti liberis ad successionẽ ęqualiter admittantur in stirpem tantum, & non in capita. Intelligendo, quod tantundem habere debeant ipsi nepotes ex filio, quantum de iure habuisset eorum pater, si uiueret. Verum si talis pater defunctus tempore suæ uitę aliquid expendisset pro uno ipsorum filiorũ, uel nepotum, in mittendo eum ad studium scientię alicuius, pręterquam ad studium Grãmaticæ, extra Terram Coneglani, & in emẽdo eidẽ libros, & sumptus aliquos fecerit occasione examinis, vel conuentus, facta diligenti taxatione expensarum prædictarum, si ipsi fratres, vel nepotes inter se concordes esse non possent, per Dominos Consules, reliqui cum tali prædicto ad successionem veniẽtes tantũdem pro rata in stirpem, vt supra, ante partem habere debeant dictæ hæreditatis; & quæ de ipsis Scolaribus dicta sunt, intelligantur si ipse defunctus dotes aliquas dedisset, & constituisset alicui, vel aliquibus ex filijs suorum filiorum, quas dotes volumus etiam in parte patris tali mulieris nuptæ, vel monacatæ, seu fratrũ

suo-

ſuorum, patre mortuo, computari. Siq́ue, vt plerunque accidit, aliquis ex prædictis filijs, vel nepotib. de domo præfati patris, vel aui ipſo inuito pecunias, vel alia bona aſportauerit, aut caſu aliquo ob aliquod delictum fuerit condemnatus, etiam totum id ſic aſportatum, vel pro condemnatione ſolutũ debeat, & volumus in eius parte computari. Saluo tamen, quod ſi ſcandalum, aut quæſtio aliqua principaliter à tali patre, vel auo proceſsiſſet, in qua quæſtione, vel rixa ſe ipſius intuitu talis filius, vel nepos immiſcuiſſet, quod ſi opponeretur, debeat per Dominos Conſules, ſi ſic fuerit, declarari nõ valeat talis ſic ſoluta condemnatio in eius parte computari.

De teſtu, & ſcriptura teſtamenti ſeruanda nulla obſtante cauillatione.

QVia occurrit multoties fraudes multas, & cauillationes fieri ſuper teſtamentis defunctorum; ſuper ijs maximè alicuius valoris, & precij. Immò, & ſæpius infringũtur, ſicq́ue perſonæ credentes ſe mori teſtatas remanẽt inteſtatæ. Volentes huiuſmodi malitijs, cauillationibus, & ſubtilitatib. prouidere. Statuimus, Quod de cætero in teſtamentis fiendis omnes tales ſubtilitates & cauillationes euaneſcant, & purè, ac ſimpliciter ſeruetur teſtus, & ſcriptura teſtamenti, non obſtantibus verbis aliquibus directis, ſeu obliquis in ipſo teſtamẽto inſertis, tàm in inſtitutionibus, quàm in ſubſtitutionibus, & in alijs quibuſcunque teſtamenti partibus, ex nũc ordinantes ipſa talia uerba, & omnes alias ſubtilitates, quæ in pondere, uel menſura conſiſtant, uel intellectu uerborum locum non habere ullo modo, ſed pœnitus euaneſcant, & nullius ſint ponderis in animo, uel conſcientia iudicantis: ſique in aliqua parte ſui ipſum teſtamentum obſtantibus ſtatutis Terræ Coneglani, ipſisq́; deficientibus obſtante iure ciuili eſſet pro non ſcriptum, caducum, uel quaſi caducum, nihilominus in omnibus alijs partibus remaneat firmum, & ualidum.

Quod

Quod in Testamentis in Villis conditis, testes quinque sufficiant; in Codicillis autem tres.

ORdinamus insuper, quia ob guerras multiplices, atq; pestes in Villis testes ad plenum haberi non possunt, quod in quolibet testamento de cætero fiẽdo in ipsis Villis districtus Coneglani sufficiant testes quinque: in Codicillo uerò tres: in Terra autem Coneglani, & circhis ordo à iure Ciuili statutus debeat obseruari.

Quod in Testamento ordinando per mulieres maritatas interesse debeant duo affines.

INsuper si contigerit mulieres aliquas maritatas, uelle ordinare, seu condere testamentum suum. Ordinamus, & uolumus, quod scripturæ dicti testamenti, & publicationi ipsius interesse debeant duo eius affines, seu propinqui proximiores qui haberi poterũt; & si haberi non possent aliqui, Domini Consules ex eorum officio, duos bonos homines, & idoneos, mittere debeant, qui loco propinquorum prædictorum scripturæ ipsius testamenti, & publicationi, debeant interesse: testamentum autem aliter factum non teneat, & Notarius qui illud scripserit, & publicauerit, in libris quinque paruorum condemnetur.

FINIS LIBRI TERTII.

STATVTORVM CONEGLANI

LIBER QVARTVS.

Super Maleficijs.

NOlentes crimen, seu delictũ aliquod impunitum præterire, sed vt potius delinquere satagẽtes à criminalibus delictis appetitus scæuos pœnę formidine valeant declinare sequẽtibus Statutis superinde duximus prouidendum.

SI accusatio, & denunciatio, vel inquisitio instituta fuerit cõtra aliquem de aliquo maleficio, seu delicto; super ea procedatur hac forma, uidelicet, Quòd porrecta in scriptis, vel oretenus facta, & per Notarium Maleficiorum diligenter in scriptis redacta accusa, uel denuntia, in qua per accusatorem, uel denuntiatorem nominari debeant testes cum nominibus, prenominibus, & locis, in quibus habitauerint, etiam denuntiatus, & accusatus habitet in Terra Coneglani, uel in Villa, citari debeat talis denuntiatus, accusatus, uel inquisitus, uel ad domum habitationis suæ, siue habitet in Terra Coneglani, uel districtu, uel personaliter, quòd infra tertiam diẽ compareat coràm Dominis Consulibus ad se defendẽdum à dicta denuntia, seu accusa, uel inquisitione, qui si in termino non uenerit siue personaliter, siue ad domum fuerit citatus, citetur similiter iterum, ut infra tertium diem coràm Dominis Consulibus debeat cõparere ad se defendendum à denuntiatione, accusatione, uel inquisitione; & si citatus, in termino comparuerit, & uoluerit copiam accusationis, denuntiationis, uel inquisitionis institutæ contra eũ antequam se excuset de crimine quod impigitur contra eum, Domini Cõsules; recepta satisdatione ab eo de soluendo condẽnationem, si eum ex dicta causa condemnari contingerit, faciant sibi copiam denuntiæ, accusæ, uel inquisitionis contra eum institutæ exhiberi, & terminum statuant ad respondendum, & deliberandum super ea, nisi tale fuerit crimen, de quo denuntiatus, accusatus, uel

inquisitus est, pro quo principaliter, vel in defectu puniri debeat in persona, vel membro; quo casu compellatur statim dictæ denūtiæ, accusæ, vel inquisitioni respondere, nec recipi possit ab eo cautio, vel satisdatio, sed poni debeat in carcerem Cōis sub fida custodia, donec finem debitum dicta causa receperit. Et si in responsione sua confessus fuerit crimen, de quo denuntiatus, accusatus, vel inquisitus fuerit, condemnetur solum in tribus partibus eius, in quo alias per formam Statutorum Cōis pro dicto maleficio condemnari debuisset, si illud fuisset probatum. Si verò negauerit se dictum maleficium commisisse statuatur sibi terminus octo dierū ad omnes suas defensiones faciendas, in quo termino sufficiat si saltem citari fecerit testes nominatos per eum ad sui defensionē, & defensiones suas obtulerit in scriptis, vel in maleficiorum actis scribi fecerit. Si verò citatus infra terminū secundæ citationis non venerit, habeatur pro confesso de maleficio, seu malo, de quibus fuerit irretitus, perinde cōdemnetur, ac si dictum maleficium probatum fuisset. Cæterùm, si persona, contra quam denūtia, accusa, vel inquisitio instituta fuerit, habitauerit extra Terram, & districtum Coneglani, vel recesserit, debeat per Præconem Cōis alta voce in Plateis Cōis Castri, & Burgi, citari, quod infra octo dies comparere debeat ad se excusandum à denuntia, accusa, seu inquisitione instituta contra eum, & figi debeat breue citationem eius continens in domo Cōis Burgi, in qua contineri debeat qualitas facti, seu criminis, pro quo proceditur contra eum, ibique per dictos octo dies manere debeat; & si infra dictos octo dies talis sic citatus non venerit, iterato per Præconem, vt dictum est, super Plateis Castri, & Burgi citetur, quòd vltimatè infra tertiam diem debeat comparere ad se excusandum, vt supra. Qui si infra terminos prædictos ad mandata ipsorum Dominorum Consulum non venerit, ex tunc habeatur de dicto crimine pro confesso, & procedatur ad condemnationem contra eum tanquam contra de crimine confessum, siue conuinctum per ipsos Dominos Consules iuxta Terræ Coneglani continentiam Statutorū

Quando

Quando accusatus, vel inquisitus elapso citationis termino ante sententiam etiam comparere potest.

SI quis accusatus, denuntiatus, uel inquisitus de aliquo maleficio comparere voluerit ad se defendẽdum postquam lapsi fuerint termini, & bãni citationum factarum de eo, audiatur quandocunque veniens ante sententiam, dummodò propter eius contumatiam soluat Massario Communis soldos duos paruorum pro libra, & in ratione libræ eius, quo condemnari potuisset occasione dicti maleficij, si non comparuisset ad se excusandum.

Quod Merici Villarum infra tertium diem Maleficia commissa in suis Villis, & Regulatu, Dominis Consulibus denuntiare teneantur.

SI in aliqua Villa, seu Regulatu alicuius Villæ districtus Coneglani, in qua sint, ad minus decem habitatores, commissum fuerit aliquod maleficium, teneatur Mericus, seu Cõe ipsius Villæ, vbi cõmissum maleficium fuerit, infra tertiũ diem Dominis Consulibus Coneglani illud denuntiare maleficium, ac etiam malefactorem, seu malefactores capere, & præsentare eisdem Dominis Consulibus, vel saltem ad ipsos capiẽdos facere posse suum, & res, ac bona dicti malefactoris, seu malefactorum intromittere, si qua potuerint inueniri, pœna librarum decẽ paruorum. & hoc si maleficium commissum fuerit propè dictam Villam per tria iugera terræ, & fuerit tale maleficium pro quo debuerit imponi, pœna librarum quinque paruorum, uel inde supra, ex forma Statutorum Communis, sique in dicta Villa decem habitatores non essent, in qua commissum maleficium fuisset, pro quo sequeretur maior pœna librarum quinque, nihilominus sub dicta pœna Mericus dictæ Villę ipsum maleficium præfatis Dominis Consulibus denuntiare teneatur. Si verò dicta Villa per ipsos decẽ habitatores habitata non fuerit, aut commissum fuerit per tria iugera terrę à dicta Villa, seu tale fuerit maleficium, pro quo minor pœna soldorum centum paruorum deberet imponi, ad pœnam prædictam nullatenus teneatur, hoc addito, quòd si contigerit rumorem insurgere, vel campanam pulsari

166

inquiſitus eſt, pro quo principaliter, vel in defectu puniri debeat in perſona, vel membro; quo caſu compellatur ſtatim dictæ denūtiæ, accuſæ, vel inquiſitioni reſpondere, nec recipi poſsit ab eo cautio, vel ſatiſdatio, ſed poni debeat in carcerem Cōis ſub fida cuſtodia, donec finem debitum dicta cauſa receperit. Et ſi in reſponſione ſua confeſſus fuerit crimen, de quo denuntiatus, accuſatus, vel inquiſitus fuerit, condemnetur ſolum in tribus partibus eius, in quo alias per formam Statutorum Cōis pro dicto maleficio condemnari debuiſſet, ſi illud fuiſſet probatum. Si verò negauerit ſe dictum maleficium commiſiſſe ſtatuatur ſibi terminus octo dierū ad omnes ſuas defenſiones faciendas, in quo termino ſufficiat ſi ſaltem citari fecerit teſtes nominatos per eum ad ſui defenſionē, & defenſiones ſuas obtulerit in ſcriptis, vel in maleficiorum actis ſcribi fecerit. Si verò citatus infra terminū ſecundæ citationis non venerit, habeatur pro confeſſo de maleficio, ſeu malo, de quibus fuerit irretitus, perinde cōdemnetur, ac ſi dictum maleficium probatum fuiſſet. Cæterùm, ſi perſona, contra quam denūtia, accuſa, vel inquiſitio inſtituta fuerit, habitauerit extra Terram, & diſtrictum Coneglani, vel receſſerit, debeat per Præconem Cōis alta voce in Plateis Cōis Caſtri, & Burgi, citari, quod infra octo dies comparere debeat ad ſe excuſandum à denuntia, accuſa, ſeu inquiſitione inſtituta contra eum, & ſigi debeat breue citationem eius continens in domo Cōis Burgi, in qua contineri debeat qualitas facti, ſeu criminis, pro quo proceditur contra eum, ibique per dictos octo dies manere debeat; & ſi infra dictos octo dies talis ſic citatus non venerit, iterato per Præconem, vt dictum eſt, ſuper Plateis Caſtri, & Burgi citetur, quòd vltimatè infra tertiam diem debeat comparere ad ſe excuſandum, vt ſupra. Qui ſi infra terminos prædictos ad mandata ipſorum Dominorum Conſulum non venerit, ex tunc habeatur de dicto crimine pro confeſſo, & procedatur ad condemnationem contra eum tanquam contra de crimine confeſſum, ſiue conuinctum per ipſos Dominos Conſules iuxta Terræ Coneglani continentiam Statutorū.

Quando

Quando accusatus, vel inquisitus elapso citationis termino ante sententiam etiam comparere potest.

SI quis accusatus, denuntiatus, uel inquisitus de aliquo maleficio comparere voluerit ad se defendẽdum postquam lapsi fuerint termini, & bãni citationum factarum de eo, audiatur quandocunque veniens ante sententiam, dummodò propter eius contumatiam soluat Massario Communis soldos duos paruorum pro libra, & in ratione libræ eius, quo condemnari potuisset occasione dicti maleficij, si non comparuisset ad se excusandum.

Quod Merici Villarum infra tertium diem Maleficia commissa in suis Villis, & Regulatu, Dominis Consulibus denuntiare teneantur.

SI in aliqua Villa, seu Regulatu alicuius Villæ districtus Coneglani, in qua sint, ad minus decem habitatores, commissum fuerit aliquod maleficium, teneatur Mericus, seu Cõe ipsius Villæ, vbi cõmissum maleficium fuerit, infra tertiũ diem Dominis Consulibus Coneglani illud denuntiare maleficium, ac etiam malefactorem, seu malefactores capere, & præsentare eisdem Dominis Consulibus, vel saltem ad ipsos capiẽdos facere posse suum, & res, ac bona dicti malefactoris, seu malefactorum intromittere, si qua potuerint inueniri, pœna librarum decẽ paruorum. & hoc si maleficium commissum fuerit propè dictam Villam per tria iugera terræ, & fuerit tale maleficium pro quo debuerit imponi, pœna librarum quinque paruorum, uel inde supra, ex forma Statutorum Communis, sique in dicta Villa decem habitatores non essent, in qua commissum maleficium fuisset, pro quo sequeretur maior pœna librarum quinque, nihilominus sub dicta pœna Mericus dictæ Villę ipsum maleficium præfatis Dominis Consulibus denuntiare teneatur. Si verò dicta Villa per ipsos decẽ habitatores habitata non fuerit, aut commissum fuerit per tria iugera terrę à dicta Villa, seu tale fuerit maleficium, pro quo minor pœna soldorum centum paruorum deberet imponi, ad pœnam prædictam nullatenus teneatur, hoc addito, quòd si contigerit rumorem insurgere, vel campanam pulsari

ſari in aliqua Villa, occaſione ipſius maleficij ibi perpetrati, Merici, & homines circunſtantium Villarum teneantur currere ad dictũ rumorem, & malefactorem, ſeu malefactores perſequi, poſſe ſuo, qui maleficium cõmiſerant, dando hominibus, & Cõi, in cuius Regulatu maleficium cõmiſſum fuerit, ad malefactores capiendos fortiam efficacẽ. Et ſi dictus malefactor, ſeu malefactores aliquo modo peruenerint in fortiam Communis prędicti, Merici, ſeu communia pro prædictis omiſsis, vel neglectis, nullatenus teneantur.

In quibus maleficijs per Dominos Conſules poſſit per inquiſitionem procedi.

POſsint Domini Conſules procedere per inquiſitionem de maleficio, & delictis, ex quibus pœna librarum decem, vel inde ſupra, imponeretur per formam Statutorum Communis. De alijs verò, in quibus minor pœna inueniretur eſſe ſtatuta, non poſsint Domini Conſules aliquo modo per inquiſitionem procedere.

Infra quantum tempus debeat accuſator probaſſe ſuper accuſa propoſita.

POſtquam perſona accuſata comparuerit, & per eam accuſationi fuerit reſponſum, teneatur accuſator accuſationem per eum inſtitutam infra dies decem proximè continuos probare, quam ſi non probauerit infra dictum tempus, aut ſaltem ſuum poſſe non fecerit ad probandum, condemnetur Communi in ſoldis viginti paruorum; & intelligatur ſatisfeciſſe termino prædicto ſi teſtes in accuſa nominatos citari fecerit.

Infra quantum tempus debeant Domini Conſules maleficiorum quæſtiones terminaſſe.

TEneantur Domini Conſules, vinculo ſacramẽti, cauſas maleficiorum, de quibus cognouerint ipſi, vel prçceſſores ſui, antequam trium menſium regimen ſuum finiant per abſolutionem, vel condemnationem pœnitus terminare, ſi illud commodè, ſeruatis Statutorum ordinibus, poterunt expedire, ſtatuendo terminum hominibus Terræ Coneglani, vel circarum, ad ſoluendum condẽnationes pecuniarias dierum decem: diſtrictualibus verò habitantibus in villis dierum quindecim.

De

De iniuriantibus Deum, ac Sanctam Mariam, & reliquos Sanctos Dei.

SI quis Deum, vel B. Mariam virginē gloriosam blasphemauerit, vel aliam iniuriam eis similē dixerit, aut eorum imaginem, vel picturam percusserit, aut improperium modo aliquo deturpauerit, condemnetur in libris decē paruorū, quas si infra decē dies à cōdemnatione lata non soluerit, detineri debeat in carcerib. per dies viginti continuos, & ipsis dieb. viginti elapsis, & eo nondum soluēte, ducatur ad fontem Platheæ Burgi, & per Præconem Cōis alta voce ter publicè exprimatur, & cridetur blasphemia, seu iniuria sic, vt supra expressa, vel illata, ita, vt sit ibi omnib. existentibus nota, & exinde tres situlę plenę aqua, vna post reliquam successiuè super caput eius effundatur; & si bis quis in hoc iniurioso modo repertus fuerit, & bis taliter cōdemnatus, & tertio ad id peccatum incurrat, tunc publicè frustigetur à Platea Burgi vsq; ad unam portarū Burgi Coneglani, & à dicta porta usq; ad aliam, & banniatur sub eadē pœna per menses tres de Terra Coneglani, atq, districtu. Et si prędicta, uel aliquod prædictorum quis dixerit, uel commiserit contra aliquem Sanctum, uel Sanctam Dei, condemnetur in medietate dictarum pœnarum, & quilibet posit accusare, & habeat medietatem ipsius pecuniariæ pœnæ, ac sub silentio teneatur.

De proferentibus verba iniuriosa contra aliquem.

PRo uerbis iniuriosis sit pœna dicenti, soldorum quadraginta paruorum. Et si coram Dominis Consulibus iura reddētibus, ipsa pœna duplicetur, & in quolibet casuum suprascriptorum possint D. Consules talem iniuriantem, condemnare usq; ad summam libr. decem paruorum, inspecta qualitate facti, ac conditione personarum, cuius pœna medietas sit Cōis, & reliqua iniuriati.

De arsaltu facto cum armis, & sine.

PRo arsaltu facto contra aliquem sine armis, cōdemnetur insultans in trib. libris paru. Si uerò cum armis, in soldis centū par. etiam si insultans ensem, uel cultellum euaginauerit contra eum,

Si verò cum armis admenauerit contra eum, condemnetur in libris decem paruorum: & intelligatur insultus, si quis deliberatè, vel ex proposito iniuriosè iuerit contra aliquē eum fugauerit insequendo & vtrum cum deliberatione fuerit, an non, sit per Dominos Consules discernendum; & in quolibet casuum supradictorū medietas sit Communis, & alia insultati.

De percussione facta cum pugno, vel alapa.

QVicunque percusserit aliquem in facie cum pugno, vel alapa, condemnetur in libris decem paruorum. Et si ex dicta percussione sanguis de ore, vel naso exierit, vel facta fuerit scarpizatura, condemnetur percutiens in libris viginti paruorum. Si verò in alia parte corporis facta fuerit manu vacua ipsa percussio, condemnetur percutiens in soldis centum paruorum. Idemq; intelligatur si cum pede percusserit; & in quolibet supradictorum casunm medietas sit Communis, & alia iniuriati.

De scarpizatura sine armis, vel spinctura, aut alleuatura caputij.

SI quis scapillauerit aliquem, vel scarpizauerit sine armis alibi, quàm in facie, condemnetur in libris quinque paruorum, & pluribus vsque ad decem libras, inspecta qualitate personarum, arbitrio Dominorum Consulum. Si verò spinxerit alium, condemnetur in soldis quadraginta paruorum. Siquespinctus ex tali spinctura ceciderit, condemnetur in duplum dictæ pœnæ, & plus usque ad libras decem paruorum, arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti, & personarum conditione. Qui verò alicui eleuauerit caputium, vel capellum, aut illud de capite cadere fecerit, condemnetur in soldis viginti paruorum. Si iniuriatus prædictus hoc ad iniuriam reputauerit, quarum omnium pœnarum medietas sit Communis, & reliqua iniuriati.

De percussione cum bastono, vel lapide facta, tàm in facie, quàm in alia parte corporis.

SI quis percusserit aliquē cum bastono, vel lapide, vel alio simili instrumēto in faciē, sine sanguine, condēnetur in lib. 15. paru.

Si

Si verò cum sanguine, in libris triginta condemnetur; & si in alia parte corporis facta fuerit talis percussio sine sanguine, in soldis cẽtum paruorum condemnetur. Si verò cum sanguine, in libris uiginti paruorum. Et si cum baculo, uel uiscatio, uel lapide paruo, condẽnetur in medietate dictæ pœnę, & minus arbitrio Dominorum Cõsulum; & si momorderit aliquem in facie cũ sanguine, in libris decem paruorum. Si uerò in alia parte corporis, in soldis centum paruorum, quarum pœnarum omnium in casibus prædictis medietas sit Communis, & alia iniuriati.

De lapide, vel bastono proiectis aduersus alium, vel supra domos.

SI quis aduersus alium proiecerit lapidem, uel bastonum, aut aliud simile instrumentum, causa percutiendi eum, condemnetur in soldis quadraginta paruorum. Si uerò proiecerit ad domũ, aut supra domum alterius, condemnetur in medietate pœnæ prædictæ.

De euaginatione armorum.

SI quis aliquem percusserit cum armis, sine sanguine, condemnetur in duodecim libris paruorum. Et si solum spatam, uel lanceã, aut alia huiusmodi arma euaginauerit, non percutiens, condemnetur euaginans in libris quinque paruorum.

De vulnere illato in facie cum armis, atque in alia parte corporis.

SI quis aliquem uulnerauerit in facie cum armis, & cum effusione sanguinis, & ex ipso uulnere non sit remansura euidens cicatrix, in libris trigintaduabus paruorum condemnetur. Si uerò post uulnus curatum ex ipso uulnere sit remansura euidẽs cicatrix, & non modica, si sic erit, arbitrio Dominorum Consulum cum cõsilio Medicorum decernenda, in libris quinquaginta paruorum cõdemnetur. Si verò in alia parte corporis vulnus illatum fuerit cum armis ex quo sanguis exierit, condemnetur Communi in libris trigintaduab. paruorum, quarum pœnarum medietas in omnibus casibus prædictis sit Cõis, & alia eius, cui vulnus fuerit illatum.

De smacatura, vel debilitatione membrorum.

PRo smacatura, seu membri debilitatione, condemnetur percussor in libris ducentis paruorum. Et si vnus solus digitus manus, condemnetur in libris centum paruorum. Si verò manus in toto fuerit abscisa, vel pes, seu oculus de capite vulsus, vel nasus incisus, tunc, & eo casu, vel casibus, condemnetur quilibet talia committens, in libris quingentis paruorum pro quolibet, & qualibet vice, quarum pœnarum medietas sit Cōmunis, & reliqua iniuriatorum. Et si talis condemnatus in dictis libris quingentis pro dictis membris abscissis, ipsam condemnationem non soluerit vsque ad duos menses post condemnationem factam, sibi membrum simile abscindatur, vel eruatur.

De eo, qui alium cum balista, vel arcu sagittauerit.

SI quis aliquem, pensatè, cum balista, vel arcu, sagittauerit cū sagittis, aut veretonibus, & non vulnerauerit, in libris viginti paruorum Communi condemnetur. Si verò vulnerauerit, in libris quadraginta paruorum condemnetur, quarum medietas sit Communis, alia vulnerati: saluis maioribus pœnis in statutis contentis; & vtrum pensatè sagittauerit, sit in Dominorum determinatione Consulum, inspecta qualitate facti, vulneris, loci, ac personarum conditione, si eodem tempore, & in continuatione eiusdem rumoris plures percussiones, & vulnera illatæ, seu illata fuerint per aliquem in personam alterius, condemnetur ille, qui tales percussiones, vel vulnera intulerit solum pro illis duab. percussionibus, vel vulneribus, pro quibus ex forma Statutorum maior pœna deberet imponi.

Quando insultus pœna euanescit.

IN quolibet casu, in quo aliquis insultum faciens contra alium percusserit eum, euanescat pœna insultus, ita, quod de sola percussione, seu vulnere per ipsum illato puniri possit.

De

De iniuriantibus Dominos Consules, vel familiares eorum.

SI quis aliquam iniuriam, vel offensam intulerit Dominis Consulibus, vel alicui personæ familiari ipsorum, aut offenderit aliquem officialem Communis Coneglani officium exercentem, puniatur, & condemnetur arbitrio Dominorum Consulum, dummodò talis pœna non excedat quadruplum eius, in quo condemnari debuisset alium extraneum offendendo.

De pœnis in forensibus duplicandis.

OMnes pœnæ pecuniariæ in maleficijs contra forenses duplicentur, & ab eis in duplum exigantur: intelligendo forenses oẽs, qui non sustinent onera, & factiones Cõis Coneglani in parte, uel toto, & prædicta sibi locũ non uendicent in officialibus, seu salariatis Cõmunis Coneglani, & in famulis Ciuium Terræ Coneglani, & eorum quacunque familia, ac in stipendiarijs habitãtibus ad stipendium in Coneglano.

De pœnis duplicandis in maleficijs commissis in nocte.

ITem duplicentur pecuniariæ pœnæ in omnibus maleficijs commissis de nocte: intelligendo noctem, à sono tertiæ campanæ, quę pulsatur de sero, usq; ad campanam diei, quę pulsatur de mane.

Quando pœnæ maleficiorum veniunt duplicandæ.

DVplicentur etiam omnes pecuniariæ pœnæ in maleficijs cõmissis ad domum habitationis eius, qui passus iniuriam fuerit: intelligendo maleficium esse commissum ad domum, etiam si in porticu, vel propè hostium dictæ domus per vnum passum commissum fuerit; duplicentur etiam pœnæ in maleficijs commissis in aliqua Ecclesia, vel sub domibus Cõis Castri, vel Burgi, seu in Plateis Castri, vel Burgi: intelligendo Plateam Castri à domo Nicolai de Bonasis vsq; ad fossam zironi; & Plateam Burgi, à domo ser Clementis de Caronellis, in qua habitat, vsq; ad aliam domum suam, quæ olim fuit ser Hendrici de Zannouello, cũ tota Platea desupra,

quæ tenet, & iacet per ante domum olim ser Dalmasij Notarij de Marco, & à domo Cõis, quæ fuit Lucani, vsq; ad domum hæredum quondam ser. Francisci Zuchardi. Item etiam de duplicatione pœnarum intelligatur in maleficijs simpliciter cõmissis ad portas aliquas Coneglani. verum pœna aliqua semel in casu aliquo duplicata amplius alijs causis interuenientibus duplicari non possit.

De pœna medietate in maleficio minuenda pacis instrumento interueniente.

SI quis pacem habuerit de maleficio, vel maleficijs commissis per eum ab eo, in cuius personã maleficium tale, vel offensam commiserit, condemnetur solum in dimidia eius, qua aliàs pace nõ habita condemnari debuisset, quæ medietas tota perueniat ad Cõmune: intelligendo, quod pace facta, iniuriatus renuntiauerit parti condemnationis ad se spectantis ipso facto, nisi primo ipsam medietatem sibi spectantem habuisset; & non credatur alicui de pace habita, nisi cum publico ipsius pacis instrumento, vel iniuriato, coram Dominis Consulibus personaliter veniente, quod scribatur in actis per Notarium maleficiorum.

De Homicidijs.

DOmini Cõsules, de homicidijs, robarijs, vel alijs maleficijs, pro quib. pœna corporalis debet imponi, procedere possint quandocunq; à tempore maleficij perpetrati. De alijs verò minoribus, in quibus venit imponenda pœna librarum quinquaginta, vel abinde infra, possint procedere infra annum, & non vltra: saluo, quòd de ludo, de quo postquam lusum fuerit post vnum mensem procedi non possit.

Quod homicida supplicio vltimo puniatur sine vlla amissione bonorum.

SI quis de cætero in Terra Coneglani, vel eius districtu, quod absit, commiserit, vel committi fecerit homicidiũ, vltimo supplicio capitaliter puniatur, si poterit inueniri. Si verò haberi non poterit, seu non venerit ad mandata Dominorum Consulum, & Communis Coneglani, & probatum fuerit homicidium, de Terra

Co-

Coneglani, & districtu perpetuo capitaliter bãniatur sine aliquorum suorum bonorum amissione, & puniatur vltimo supplicio, si quo tempore in fortiam Dominorum Cõsulum, & Cõis Coneglani, venire contigerit.

Quod homicida per contumaciam bannitus infra dies quindecim possit comparere suam innocentiam purgando banno non obstante.

QVicunque de homicidio inculpatus ad mãdata Dominorum Consulum non venerit, sed potius in contumacia perstiterit, & homicidium per eum, aut eius facto commissum probatũ non fuerit, vt supra banniatur ad mortem, & nihilominus si quo tẽpore in fortiam Dominorum Consulum volens purgare suã innocentiam venerit, & per legitimas probationes monstrauerit infra dies quindecim à die præsentationis computãdos se de dicto maleficio esse inculpabilem à dicta condẽnatione absoluatur, & de personali banno eximatur, alias sententia contra eum lata executioni mandetur. Et quæ dicta sunt de eo, qui commiserit vel committi fecerit homicidiũ intelligatur de eo, qui opem, vel auxilium cooperatiuum dederit ad homicidium committendum. Si verò homicidio iam commisso auxilium quis dederit homicidę, vel ei, qui committi fecerit homicidium faciendo ipsum fugere, vel similia cõmittendo in libris quinquaginta paruorum condemnetur.

De minoribus annorum quatuordecim pro Maleficio non decapitandis.

MInores annorum quatuordecim: maiores tamẽ annorum decem cum dimidio pro homicidijs à se commissis, vel furtis, vltimo supplicio non damnentur, sed aliter puniantur arbitrio Dominorum Consulum, nisi probetur eos studiosè, & malitiosè, & ex proposito dictum maleficium commisisse: pro alijs verò maleficijs commissis à se teneantur, & puniantur arbitrio Dominorum Consulum, dummodò sint annorum decem cum dimidio maiores.

De

De pœnis assassinorum, & assassinariam committi facientium.

ASsassini, qui ad postulationem alterius, pretio, vel mercede, homicidium commiserint in personam alicuius in Terra Coneglani, vel eius districtu, strasinentur ad caudam asini vsq; ad furcas, & ibi laqueo suspendantur per gulã taliter, quod pœnitus moriantur, eademq; pœna ipsi, qui dictum homicidium, & assassinariã committi fecerint, similiter puniantur. Si verò non occiderint ipsi assassini, sed vulnerauerint aliquem pretio, uel mercede sine amissione, uel debilitatione membri, ad petitionem alicuius eis, & eorũ cuilibet manus dextera debeat amputari, ita, qđ à brachio pœnitus separetur, & oculus dexter de capite erui totaliter, sic quod à capite segregetur omninò, siquè tale vulnus per assassinos illatũ huiusmodi fuerit cum amissione, vel debilitatione membri, vltra pœnã assassinariæ prædictãm puniantur ipsi assassini ad amissionem, seu amputationem similis membri amissi, vel debilitati in percusso. Ille autem, qui per assassinum aliquem percuti fecerit, vel offendi precio, vel mercede in libris quingentis paruorum Cõi Coneglani condemnetur, quas si non soluerit infra vnum mensem à die condemnationis, & sententiæ latæ, tunc debeat ei manus dextera incidi, & oculus dexter de capite erui, uti in assassinis est dictum. Si uerò vulneratus amisisset ex ipso vulnere membrum, medietas ipsius condemnationis sit Cõis, & alia medietas illius, qui membrum amiserit, uel in quo debilitatum fuerit. Ipse aũt uulneratus, si membrum nõn amiserit, nec debilitatum fuerit, sed tãtum percussus fuerit, & ex hoc sequatur præfata condemnatio pecuniaria, habere debeat libras quinquaginta paruorum: aliæ uerò libræ quadringentæ, quinquaginta ueniant in Commune.

De incendijs, & incendiariorum pœna.

SI contigerit aliquem domum habitationis alterius scienter incendere causa comburendi, igne cõburatur. Si uerò incẽdium posuerit in tegete, aut domo, quæ habitata non fuerit, condemnetur in libris centum paruorum. Et si in nemore, uel possessione alte

rius,

rius, cōdemnetur in libris uigintiquinque paruorum. Si uerò ignis non in nemore positus fuerit, sed ibi propè, causa comburendi aliud, quam nemus, & ex dicto igne damnum datum fuerit in dicto nemore, vel possessione alterius, condemnetur in libris decem paruorum, & in pluribus arbitrio Dominorum Consulū usque ad summam librarum uigintiquinque paruorum, inspecta qualitate facti, & personarum. Et si sciri non poterit quis fuerit dictus malefactor, seu incendiarius, tunc homines Regulatus, sub quo incendium cōmissum fuerit, recepto per Dominos Consules sacramento à damnum passo, quod non scit, nec cognosci t quis dictum incendium cōmiserit, emēdare dictum damnum teneantur, nisi manifestauerint Dominis Consulibus personam certam talis delinquentis, seu qui incendium commiserit, infra duos menses à die commissi incendij. Et quæ de incendijs dicta sunt, quantum ad emendationem faciendam per homines Regulatus, intelligātur de alijs damnis datis, ex quibus maior pęna librarum quinque paruorum ex forma Statutorum deberet imponi, & nihilominus in quolibet omniū prædictorum casuum damnum emendet; & pœnarum suprascriptarum medietas sit Cōmunis, & alia damnum passi, & quilibet dominus, siue pater teneatur ad emendationem damni, & ad pœnam prædictam, si de eius scientia, uel mandato per filios, uel familiares eius, dictus ignis positus fuerit, super quibus sufficit ad probationē, saltem fama arbitrio Dominorum Cōsulum, inspecta qualitate facti, & personarum conditione.

De latronibus, & robatoribus stratarum.

PVblici latrones, & robatores stratarum, furcis suspendantur per gulam cum laqueo, ita, quod pœnitus moriantur.

De furtis, & eorum pœna.

SI quis pecuniam furatus fuerit, vel rem valētem librarum decem paruorum, vel inde infra per Terram Coneglani ab vna porta ad aliā publicè frustigetur, vel mitius aliter puniatur arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti, cōditione personarum.

narum. Si verò furatus quis fuerit à decẽ libris supra vsque ad quindecim, omninò frustigetur, vt supra. Et si furatus fuerit à libris quindecim paruorum supra vsque ad vigintiquinque paruorum, fustigetur, vt supra, & bulletur tribus bullis ardentibus, & ignitis ferreis sculptis arma Communis Coneglani super fronte, vna, videlicet, & reliquis super maxillis. Si autẽ quis furatus fuerit à libris vigintiquinque paruorum supra vsque ad quinquaginta paruorum, amputetur sibi manus dextera; & nihilominus de Terra Coneglani etiam districtu banniatur sub eadem pœna, quam fuerit passus totiens eidem inferenda, quotiens in fortiam Dominorum Consulũ, & Communis Coneglani venerit, & rem furtiuam in omni casuũ prædictorum, etiam domino restituere teneatur. Si verò furatus fuerit à libris quinquaginta paruorum supra laqueo suspẽdatur ad furcas, ita, quod pœnitus moriatur.

De receptantibus homicidas, vel alios malefactores in domo, vel agro.

QVicunque in domo, vel in agro receptauerit, seu tenuerit aliquem homicidam, assasinum, latronem, incendiarium, falsatorem monetæ, vel furem cum furto susceperit, & monitus p Dominos Consules, vel alterum eorum talem homicidã, vel assasinum, latronem, incendiarium, falsatorem monetæ, uel furem eisdem Dominis Consulibus præsentare noluerit, aut posse suum ad præsentandum non fecerit, saltem eis præstando aditum capiendi, in libris ducentis paruorum Communi condemnetur, & si fur erit furtum restituat.

De forensibus offendentibus Ciues, & districtuales Coneglani, tàm in districtu, quàm alibi.

SI quis Baro, uel Comes, seu Cataneus, vel Capitaneus, qui de natione Terræ Coneglani, vel eius districtu non fuerit, offenderit, vel offendi fecerit aliquem de Terra Coneglani, uel eius districtu, condemnetur in duplum eius, in quo condemnaretur Ciuis Coneglani, si alium de Coneglano Ciuem offendisset, & habeat et locum si dictus Baro, Comes, Capitaneus, uel Cataneus offenderit,

rit, uel offendi fecerit Ciuem, uel districtualem Coneglani extra districtum, seu Territorium dictæ Terræ. Si uerò prędicti, uel aliquis prædictorum, seu aliqua alia persona terrigena, uel forensis occiderit aliquem Ciuem Terræ Coneglani, uel quemcunque alium sustinētem onera, & factiones Cōis Coneglani extra districtum Coneglani in quacunque parte, capitaliter de Terra Coneglani, & districtu banniatur, ac si quo tempore in fortiam Communis Coneglani uenerit, simili capitali supplicio puniatur.

De falsarijs.

SI quis falsam accusationem scienter instituerit contra aliquē de aliquo maleficio, pro quo probato pęna corporalis deberet imponi, cōdemnetur, & puniatur ea pœna, quę puniri debuisset accusatus si probatum fuisset tale maleficium. Si uerò de alio maleficio, pro quo probato pœna pecuniaria imponi deberet, puniatur ea pecuniaria pœna, qua puniri debuisset accusatus si dictum maleficium probatum fuisset.

De fabricatoribus falsæ monetæ.

FAbricatores falsæ monetæ, & falsam monetam fieri facientes, & qui scienter etiam falsam expēdiderint flammarum vstibus comburantur; ita, qđ moriantur omninò, dummodò is, qui dictam monetam scienter expendiderit solitus fuerit monetam falsam expendere, & fuerit persona malæ conditionis, & famæ, arbitrio dominorum Consulum.

De conficientibus, & producentibus falsa instrumenta, & scripturas.

QVicunque fecerit, seu fieri fecerit, aut mandauerit, uel fieri tractauerit aliquod falsum instrumētum, uel aliquam falsam scripturam, condemnetur in ducentis libris paruorum quam pœnam si infra vnum mensem non soluerit à die publicationis sententiæ, manus dextera amputetur eidem, ita quod à brachio separetur & nihilominus si Notarius fuerit ab officio Tabellionatus; & ipse etiam & alius quicunque ea pertractans ab omnibus priuilegijs,

gijs, & honoribus Cõis perpetuo sit priuatus. Idem in eo, qui scienter suo nomine, vel alieno falsum instrumentum, vel aliam falsam scripturam produxerit, aut produci fecerit, vel mandauerit, & in productione perseuerauerit vsque ad sentẽtiam; & prædicta locum habeant quando instrumentum est summę librarum ducentarum paruorum, & ab inde infra. Si verò fuerit vltra summam ducentarum librarum paruorum, tunc, & eo casu, & casibus conuictus de tali falsitate in amisione, manus totaliter condemnetur, quæ ob aliquam solutionem alicuius quantitatis pecuniæ redimi nõ posit, & nihilominus alijs prædictis pœnis in præsenti statuto cõtentis subiaceat, & eisdem pœnis etiam subiaceat, qui dolosè scienter aliquẽ de falso accusauerit, & non probauerit. Sed si aliquis aliquem Notarium iniuriosè falsarium dixerit, siue appellauerit, & vlterius nõ processerit, si quidem hæc coràm Dominis Consulibus dixerit ius reddentibus, condemnetur in libris vigintiquinque paruorum. Si verò alibi in libris decem paruorum debeat condemnari, & in quolibet casuum prædictorum medietas sit Communis, & alia medietas iniuriati.

De falsis testibus.

QVicunque perhibuerit, vel perhiberi fecerit scienter coram aliquo iudice, vel officiali iurisdictionem habente falsum testimonium, condemnetur in libris ducentis paruorum, quas si infra vnũ mensem non soluerit à die publicationis sententiæ, amputetur ei lingua cum labro superiori. Idem in eo, qui scienter suo nomine, vel alieno produxerit, vel produci fecerit, seu mandauerit falsum testẽ, vel attestationem, vel eo in iudicio vsus fuerit, & in omnibus prædictis casibus vtrum producens suo nomine, vel alieno falsum instrumentum, vel testem, aut eo vsus fuerit, sciens, vel non, reseruetur arbitrio Dominorum Consulum. Et posint Domini Consules de prædicta scientia etiam inquirere per tormẽta si eis uidebitur, præcedentibus tamen inditijs legitimis.

De

De exponentibus falsam ambasciatam.

SI quis falsam ambasciatam scienter fecerit ex parte regiminis, vel Communis Terræ Coneglani, uel falsam ambasciatam retulerit Communi Coneglani, condemnetur in libris centum paruorum; & pluribus arbitrio Dominorum Consulum, inspecta conditione facti, & qualitate personarum.

De falsa relatione Praconis.

PRæco quilibet falsam relationem faciens, puniatur in truncatione linguæ, nisi eam redemerit pro libris uigintiquinque par uorum infra unum mensem à tempore latę sententiæ, & plus, & mi nus arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti.

De eo, qui rem eandem pluribus eodem tempore vendiderit.

SI quis eandem rem duobus, uel pluribus uendiderit diuersis tẽporibus fraudulenter, cōdemnetur in libris quinquaginta paruorum Cōi, si dicta res fuerit immobilis. Si uerò mobilis fuerit, cōdemnetur in libris decem paruorum. Si res ipsa fuerit æstimrtionis librarum decem, uel abinde supra. Et si fuerit abinde infra, condẽnetur in dimidia valoris rei venditæ, & plus, & minus arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti, & conditione personarum: teneatur autem dictus venditor ad omnia damna, quæ emptores prædicti ex dicta venditione passi fuerint.

Quod officiales Coneglani non audeant aliquem tributare, & de exennijs per Domines Consules non recipiendis.

NVllus officialis Cōis Coneglani audeat, vel præsumat tributare aliquam personam, seu aliquid illicitè extorquere occasione sui officij; & si quis contrafecerit puniatur in quadruplũ eius, quod illicitè extorserit pœnæ nomine, & illud, quod extorserit, vel abstulerit tributato restituat, & ex tunc ab officio moueatur, quod habet; & si quis mediauerit, seu fuerit dicti tributi mediator, condemnetur in duplum eius, quod fuerit dictum tributum. Si quis

verò corruperit, seu corrumpere voluerit aliquem ex dictis officialibus in dicto suo officio, puniatur in centum soldis paruorum, & in pluribus vsque ad decem libras paruorum arbitrio Dominorum Consulum. Insuper ordinamus, quòd Domini Consules toto tempore sui officij non possint, nec modo aliquo ualeant recipere, nec suo nomine recipi facere exennia aliqua ab aliqua persona, quæ coram eis quæstionem aliquam agitaret; &, si qua receperint, ea restituere danti teneantur, vel valorem eius, & Communi in quadruplũ valoris ipsius rei, siue exennij condemnentur.

De adulterijs, & stupris.

SI quis rapuerit, vel adulterium per vim commiserit cum vxore alterius honestæ viuente, capite puniatur, ita, vt moriatur omninò, ipsa muliere nullam pœnam patiendo; & si eam spõtè, seu sua voluntatẽ cognouerit, condemnetur in libris centum paruorum. Ipsa verò mulier comburetur sic, vt penitus moriatur, si in fortia Communis Coneglani fuerit. Si autẽ contumax extiterit, tunc ponatur in banno de persona, ut dictũ est, & dotem amittat. Et super prædictis per inquisitionem procedi non possit, sed per accusam solum per maritum factam. Qui autem vxorem alterius, quæ uitæ honestæ non fuerit, rapuerit, uel carnaliter per uim cognouerit, cõdemnetur in libris centum paruorum Communi. Si verò spontè, seu sua voluntate cognouerit, nullam pœnam patiatur, & condẽnatus in aliquo casuum suprascriptorum in Cõis carcerib. carceretur, ex quibus non relaxetur donec condemnationem soluerit de se factam. Etiam intelligatur mulier inhonestè vixisse, quę durante matrimonio uni, uel pluribus ultra uirum se spontè commiserit, & credatur uni testi bonæ famæ, & opinionis cum sacramento, qui iurauerit dictam mulierem cognouisse, publica fama semper subsequente.

De sanctimoniali non violanda, vel rapienda.

QVicunque sanctimonialem cognouerit, rapuerit, uel eam per uim carnaliter cognouerit, capite puniatur, ita ut penitus moriatur.

riatur. Idem in eo, qui uirginem, uel uiduam honestè uiuentem rapuerit, uel per uim carnaliter cognouerit. Si uerò honestæ uitæ non fuerit eo tempore, condemnetur ille qui dictam rapinam, uel uiolétiam commiserit in personam mulieris, in libris centum paruorum Cõi, nisi dicta mulier sic rapta, uel uiolata esset meretrix, quæ se tribus hominibus, uel abinde supra præbuerit, quo casu ille, qui dictã rapinam, uel uiolentiam cõmiserit in personam talis meretricis, cõdemnetur in decem libris paruorum, si erit publica meretrix. Si uerò casalenga, in libris uigintiquinque paruorum. Qui autem sãctimonialem uolentem cognouerit, condemnetur in libris quingentis paruorum, cuius pœnæ medietas sit Cõis, & alia medietas Monasterij, de quo fuerit ipsa Monialis, quas si infra duos menses non soluerit à die latæ sententię, capite puniatur. Pro uirgine uerò spontè carnaliter cognita, seu stuprata, in libris ducentis paruorum, habita conditione personarum, arbitrio Dominorum Consulum. Pro uidua uerò honestè uiuente in domo patris, uel fratrũ, uel aliorum coniunctorum usque ad quartum gradum sua sponte cognita, condemnetur in libris sexaginta paruorum, nisi cum uirgine, uel uidua sic sua sponte cognita fuerit matrimonium subsecutum de uoluntate parentum, aut duorum de proximioribus cõiunctis earum, si parentes non habuerint, quo casu in nihilum condemnetur. Cæterùm si qua virgo, vel vidua etiam honestè viuens per inopiam se commiserit, vel præbuerit alicui, in nihilum condemnetur, qui dictam virginem, vel viduam sic cognouerit. Idem intelligatur in eo, qui famulam alterius volentem cognouerit, si vidua fuerit, siue virgo, dũmodo extra domum domini sui fecerit hoc. Si verò in domo domini sui, condemnetur in libris trigintaduabus paruorum, si dominus sibi hoc reputauerit ad iniuriam.

De osculantibus, & violantibus alienas mulieres inuitas.

SI quis vxorem alterius, aut virginem, vel viduam honestè viuentem contra earum voluntatem osculatus fuerit, vel pannos eis squarzauerit, aut eas, seu aliquam earum in terram pro-

iecerit animo cognoſcēdi eas carnaliter, aut eo animo diſcooperuerit eas, condemnetur in centum libris paruorum, & in pluribus vſque ad ducētas, inſpecta qualitate facti, & perſonarum cōditione, excepto quod in oſculo, in quo non poſsit augeri pœna ultra libras centum: minui autē poſsit, arbitrio Dominorum Cōſulū, inſpecta vt ſupra, conditione perſonarum. Si verò iuerit ad hoſtium domus habitationis alicuius prædictarum, & per vim intrauerit in domū prædictam contra voluntatē earum, cōdemnetur in libris ducentis paruorum, & in pluribus uſque ad quingentas, inſpecta qualitate facti, & cōditione perſonarum arbitrio Dominorū Cōſulum. Si uerò iuerit ad hoſtium alicuius prædictarum, volēdo per uim ipſam domum intrare, & non intrauerit, in libris quinquaginta paruorum condemnetur.

Quod filia minor annorum vigintiquinque, ſine verbo patris, uel aui, ſe maritare non poſsit.

SI de cætero contigerit filiam exiſtentē minorem vigintiquinque annorum in poteſtate patris, aui, vel proaui, ſponſum, vel maritū accipere ſine verbo, & conſenſu eius, in cuius poteſtate fuerit, non teneatur pater, auus, vel proauus, qui eā in poteſtate habuerit, eam in aliquo dotare, ſed intelligatur, & ſit prorſus excluſa in totum ab omni commodo, & ſpe, quod, vel quam habere potuiſſet in bonis paternis, & à bonis pro dimidia ſolūmodo ſit excluſa maternis, quę bona materna pro dimidia peruenire debeant in habentes dictam mulierem in poteſtate, & ipſis deficientibus, & in fratres dictæ mulieris perueniat alia dimidia mulieri prædictæ. Et idem intelligatur de ea, quæ ſpōſum, vel virum acceperit ſine cōſenſu fratris, vel fratrum, ſi patrem, auum, vel proauum non habuerit. Et nihilominus ille, qui talem puellam, vel mulierem acceperit in ſponſam, uel vxorem, ſine conſenſu dictarum perſonarum, condemnetur in ducentis libris paruorum, ſoluendis per eum infta vnum menſem à die condemnationis factæ, quas ſi non ſoluerit carceretur in carceribus Cōis Coneglani, de quib. exire nō poſsit per duos annos, niſi ipſam condemnationem ſoluerit, vel niſi fuerit de uoluntate illius, in cuius poteſtate fuerit, vel fratrum ipſius, vel maioris partis ipſorum.

ipsorum si patrem, auum, uel proauum non habuerit, in quorũ fuerit potestate; & si de uoluntate processerit supra scriptorum secundum casus suprascriptos, quod nec condemnationẽ pecuniariam, nec pœnam carceralem patiatur, tunc ab omni pœna absoluatur, & sit absolutus.

De eo, qui se auantauerit aliquam mulierem desponsasse, vel cognouisse carnaliter.

SI quis iactauerit se, uel auantauerit, quod aliquam puellam, vel mulierem desponsauerit, seu iurauerit, uel in vxorem acceperit, vel eam dixerit carnaliter cognouisse, quam tamen non acceperit, desponsauerit, vel iurauerit, aut carnaliter cognouerit, condẽnetur in libris centum paruorum, vel in paucioribus arbitrio Dominorum Consulum secundum conditionem personarum.

De intrantibus per vim curtiuios alienos cum armis, seu domos.

SI quis tantæ temeritatis fuerit, vt domum habitationis alicuius, seu curtiuium dictæ domus cum armis intrauerit contra voluntatem illius, qui dictam domum habitauerit, condemnetur in libris ducentis paruorum Communi, si hoc dominus, vel habitator sibi ad iniuriam reputauerit, & eũ accusauerit, aliàs minimè puniatur; & si contigerit illum, qui dictam domũ sic intrauerit propterea mortem, uel damnum sustinere ab eo, qui dictam domum habitauerit, uel eius familia, tunc sit in arbitrio Dominorum Consulum, cũ deliberatione maioris Consilij dictæ Terrę puniendi, vel absoluendi illum, qui huiusmodi intratorem occiderit, uel iniuriatus fuerit, inspecta qualitate facti, & conditione personarum.

De non retinendo aliquem in priuato carcere per personam specialem.

NVllus cuiuscunque conditionis existat audeat, vel præsumat in Terra Coneglani, uel districtu aliquem in domo, vel in castro, aut in alio loco vbi fortiã, uel posse habuerit, tenere in priuato carcere contra eorum uoluntatem; & si quis contrafecerit condẽnetur Cõi in libris quingentis paruorũ; & hoc nõ intelligatur de ijs,

ftare quoslibet contrafacientes, ac etiã impunè accipere, & auferre dictas res, & habeat medietatem ipsarum rerum. Verum si contigerit alicui per Commune Coneglani locari extractio dictarum uictualium, tunc eo casu ei obseruentur omnia pacta promissa, & in locatione contenta.

Quando quis extra districtum extrahere uictualia præsumatur.

PRæsumatur uictualia exportare, seu extrahere de districtu Coneglani quicunque inuentus fuerit in confinibus, seu propè cõfinia districtus dictæ Terræ portare aliqua uictualia, de quibus si uerisimile sit eum extrahere uelle de districtu Coneglani, sit in determinatione Dominorum Consulum.

De damnis datis.

SI quis possessionem alicuius rei apud aliam constitutam sua auctoritate inuaserit, uel se intromiserit, aut eã acceperit, condemnetur Cõi in libris uigintiquinque paruorum; & possessionem quam abstulit sine controuersia; & quærela restituat possessori, nisi lege conuentionis habitæ cum possessore hoc fecerit.

Quod nullus post prohibitionem à domino factam terram alienam præsumat intrare.

NVllus terram plantatam, aratiuam, pratiuam, pasculatiuam, buschiuam, seu hortiuam post prohibitionem à domino, uel habitatore, seu colono dictæ rei factam intrare præsumat, in pœna soldorum centum paruorum, cuius medietas pœnæ sit Communis, & alia iniuriam passi.

Quod nullus intret alterius possessionem sine licentia domini, cum persona, vel plaustro.

NOn liceat alicui personæ per clausuram, uel pratum, seu nemus alterius ire, uel aliquam dictarum possessionum intrare sine licentia domini dictæ rei, in pœna soldorum decem paruorũ; Et si cum plaustro iuerit per aliquam dictarum possessionum, condemnetur in soldis uiginti paruorum; & in prædictis casibus medietas sit Communis; alia uerò medietas domini dictæ rei, & damnum ni-

nihilominus emendare qualibet uice teneatur, si quod intulerit modo aliquo.

De herba, foleis, aut blado in herba accepto de terra aliena.

SI quis in possessione alterius herbam secuerit, uel foleas de ulmis, seu talponibus, uel alijs arboribus, aut surgi fecerit, seu acceperit, condemnetur pro qualibet uice in soldis decem paruorũ. Si verò id quod acceperit, uel secuerit, fuerit plus fasso usq; ad unã torsam, in soldis uiginti condẽnetur. Et si fuerit ab una torsa supra usque ad unum plaustrum, condemnetur in soldis quadraginta. Si uerò frumentum, uel aliud bladum in herba secuerit, condemnetur in duplum eius, quod cõdemnaretur si aliam herbam secuisset; & in quolibet casuum prædictorum medietas sit Communis, & reliqua damnum passi, & nihilominus damnum integrè emendare teneatur.

De furantibus vuas, vel oliuas de possessione alterius.

SI quis de clausura, vel maso, vel aliqua alia possessione alterius, vuas, vel oliuas acceperit, cõdemnetur in soldis viginti paruorũ. Si dictæ vuæ, vel oliuę minus vno calato, seu cesta de dorso fuerint. Si autem fuerint ad mensuram vnius cestæ prædictę, condemnetur in soldis centum paruorum. Si verò fuerint à dicta quantitate supra vsque ad vnam brentam, condemnetur in libris decẽ parũ. Et si acceperit fructus alios cuiuscunque conditionis sint, condemnetur in medietatę eius, in quo condemnari debuisset si oliuas, vel vuas accepisset, & in quolibet casuum prædictorũ dictæ pœnæ medietas sit Communis, & reliqua dãnum passi, & integraliter ad dãni emendationem compellatur. Sed si quis de die frumentũ de medis, vel aliud bladum furatus fuerit etiam in parua quãtitate, ad dupli restitutionem domino damnum passo condemnetur, & publicè in berlina tota vna die stare debeat cum blado ipso ad collum, & si de nocte prædicta commiserit, ab vna porta ad aliam Burgi Coneglani publicè frustigetur, & alię omnes pœnæ prædictæ in omni casu de nocte debeant duplicari.

De

De intrantibus alienos hortos.

SI quis hortũ alterius ſine licentia domini de die intrauerit, condemnetur pro ſolo introitu in ſoldis quadraginta paruorum; & ſi damnum aliquod dederit in dicto horto, accipiendo olera, ficus, & alios fructus, cepolas, porros, aleum, cucurbitas, vel pepones, ſeu alia huiuſmodi, quæ plantantur, vel ſeminantur, condemnetur etiã ab hoc in ſoldis viginti paruorum, & damnum emẽdet in integrũ, & omniũ dictarum pęnarũ medietas ſit Cõis, reliqua domini horti. De nocte aũt ſi quis, vt præfertur, intrauerit in duplum in omni caſu anteſcripto condemnetur; & ad probandum ſtetur unius teſtis ſacramento, uel ſacramento etiam damnum paſsi ob defectum probationis, ſi bonæ famæ fuerit, & conditionis, arbitrio Dominorum Conſulum.

De incidentibus, vel extirpantibus arbores alienas fructiferas.

QVicunque oliuam, uel arborem fructiferam alterius, fructus producentem inciderit, uel extirpauerit, in ſoldis centũ paruorum condemnetur. Si uerò nondũ fructus produxerit, in medietate ipſius pœnę condẽnetur; & ſi ſolum ramos inciderit, uel ſcauezauerit, pro quolibet ramo ſic inciſo, uel ſcauezato, cõdemnetur in ſoldis uiginti paruorum. Si quis uerò uitem alterius inciderit, truncauerit, uel extirpauerit, cõdemnetur in ſoldis quadraginta paruorum; Et ſi arborem fructiferam uitẽ tenentem à pede extirpauerit, uel inciderit, in libris quatuor paruorum condemnetur. Si uerò arborem non fructiferam uitem tenentem, quis extirpauerit à pede, uel inciderit, in ſoldis quadraginta paruorum condẽnetur. Et ſi ſcalonum uitem tenentẽ extirpauerit, uel aſportauerit, in ſoldis uiginti paruorum condemnetur, & nihilominus in omni caſu damnum emendare teneatur; & prædictarum omnium pœnarum in ſingulis caſib. medietas ſit Cõis, reliqua damnum paſsi. Ad probationem aũt prædictorum ſufficiat unus ſolummodò teſtis cum iuramento, quo non exiſtente, ſtetur ſacramento domini paſsi damnum, dummodò bonæ opinionis, & famæ fuerit arbitrio Dominorum Cõſulum.

lum discernendum. Si autem quis tapas oliuæ, aut arfossos vitium, vel rasolos cum radice furatus fuerit, condemnetur in soldis decem paruorum pro quolibet prędictorum. Si verò incalmum, aut tapam oliuæ cum radice, vel oliuam furatus fuerit, in soldis viginti paruorum condemnetur, quarum pœnarum medietas sit Communis, reliqua damnum passi, & damnum integrè emendare teneatur.

De extirpantibus, vel incidentibus in nemoribus arbores non fructiferas.

SI quis de nemore, vel possessione alterius, à pede inciderit, uel extirpauerit quercum, castaneum, vlmum, fagum, fraxinum, aut aliam arborem buschiuam, puniatur in centum soldis paruorũ pro qualibet arbore, si dicta arbor fuerit bordonale, intelligẽdo ipsam arborẽ voluere à pede in circuitu duos pedes cum dimidio Cõmunis. Si verò fuerit trabes, condemnetur in soldis quadraginta paruorum. Et si fuerit dogarentum, in soldis uiginti paruorum condemnetur. Et si fuerit palus, in soldis decem paruorum. Si aũt uimina fuerint, uel ligna alia ad comburendum, condemnetur pro quolibet fasso uiminum, siue lignorum, in soldis decem paruorum. Pro soma uerò asini, in soldis uiginti paruorum. Pro plaustro uerò, in soldis quadraginta paruorum, & damnum integrè emendare cogatur, & in omnibus supradictis casibus pœnę medietas sit Cõis, reliqua damnũ passi. & ad prædictorum probationem stetur uni testi fide digno cum sacramento si ex tali delicto esset secutura condẽnatio librarum quinque paruorum, uel ab inde supra. Si uerò abinde infra foret ex forma statuti ipsa condemnatio secutura stetur sacramento domini passi damnum, si persona uidebitur fide digna.

De extirpantibus, vel frangentibus stropaturas alienas.

SI quis de curtiuo, horto, uel alia possessione alterius sepem, uel spaltum, aut aliam stropaturam inciderit, seu fregerit, vel extirpauerit, aut fossatum possessionis alterius splanauerit, condemnetur in soldis centum paruorum, cuius pœnę medietas sit Cõis, reliqua domini possessionis, & damnum emendet, & ad probationem etiam testibus deficientibus, stetur sacramento domini, si fuerit bonæ conditionis, & famæ.

De

De pœna animalium damnum dantium in quolibet genere.

SI bos, uel uacca, equus, uel equa, asinus, uel asina, hyrcus; uel capra, porcus, uel porca intrauerit in hortum alterius, condemnetur dominus ipsarũ bestiarum pro qualibet earum sic inuenta in soldis quadraginta paruorum. Si uerò in campo seminato, in soldis uiginti paruorum. Si autem in nemore, seu prato, uel in campo non seminato, uel alia qualibet possessione, in soldis decẽ paruorũ pro quolibet, & qualibet uice; &, si aliqua dictarum bestiarum dãnum dederit in aliqua arbore fructifera, corrodẽdo, uel aliter deuastando, condẽnetur pro qualibet capra, seu hyrco in soldis quadraginta paruorum. Et pro qualibet aliarum bestiarum, in soldis uiginti paruorum. Et, si in alia arbore nõ fructifera damnum datũ fuerit, condemnetur in medietate eius, quo condemnari debuisset si damnum datum fuisset in qualibet arbore fructifera. Et, si sclapum pecudum, intelligendo à sexaginta supra, & etiam castratorum inuentũ fuerit in horto, uel in campo alterius seminato, condemnetur dominus ipsarum bestiarum in libris tribus paruorum, & abinde infra condemnetur pro rata ipsarum bestiarum. Si uerò in campo non seminato, uel prato, cõdemnetur in soldis quadraginta paruorum, & damnum integrè ipsarũ bestiarum domino passo damnũ emendare teneatur: medietas autem omnium ipsarum pœnarum in singulis casibus suprascriptis sit Cõis, & alia damnum passi; & ad probationem prædictorum sufficiat, deficientibus testibus, sacramentum accusatoris, si fuerit bonæ famæ, atque conditionis.

De canibus vindemiæ tempore ligandis.

QVicunq; rusticus habens canem aliquẽ teneatur illum ligatũ tenere à calendis mensis Septembris usq; ad calendas mensis Nouemb. ita ut in uineis alicuius damnum nõ possit inferre. &, si in dicto tempore in aliquib. campis, siue uineis repertus fuerit non ligatus, condemnetur dominus eius in soldis quadraginta paruorum pro quolibet cane, & qualibet uice, & damnum, si quod intulerit, emendare teneatur.

Quando

Quando licet retinere bestias damnum dantes in possessione alterius.]

SI quæ bestiæ intrauerint, vel damnum dederint in possessione alicuius, liceat domino dictæ possessionis, filio, uel famulo ipsius, vel etiam colono, seu habitatori, vel liuellario dictæ possessionis, ac etiam saltuario accipere bestias, quas inuenerit in dicta possessione, & illas includere, & tenere donec illatum damnum fuerit emendatũ: ita tamen, quòd ille, qui dictas bestias incluserit, teneatur ipsas denuntiare ipsis Dominis Consulibus infra duos dies.

Quando stetur sacramento damnum passi, vel eius familiarium, & quando testis exigatur.

SI de cætro intratum fuerit in possessionem alterius, uel damnũ datum personaliter, vel cum bestijs, liceat domino dictę possessionis, filio, & cæteris, quos in potestate habuerit, nec non gastaldioni, famulo, colono, habitatori, & liuellario dictæ possessionis, ac etiam saltuario manifestare, denũtiare, & accusare eos, quos in dictis possessionibus inuenerit, seu qui in ipsis damnũ dederint, & stetur sacramẽto denũtiatoris, seu accusatoris de introitu, & dãno dato usque ad soldos centum paruorum, si dixerit se huiusmodi intratores personaliter inuenisse, seu damnum inferrentes: abinde verò supra usque ad libras decem paruorum, stetur sacramento ipsius cum vno teste; & si fuerit abinde supra æstimmatio damni dati æstimari debeat per ęstimatores Communis damnorum datorum, & intelligatur dominus dictæ possessionis quicũq; tempore introitus, seu damni dati in possessione fuerit dictæ rei, & non liceat alicui de introitu, uel damno dato simul, & semel, nisi de duabus uicibus alium accusare, quas accusas, vel denũtias facere teneatur infra vnũ mensem à die quo damnum sibi illatũ fuerit computandũ.

Quod non possit per Communia Villarum processus fieri de damnis datis in suis possessionibus ultra soldorum decem paruorum summam.

NOn liceat de cætero Communi, vel officiali alicuius Villæ districtus Coneglani processum, condemnationẽ, vel exactionem.

nem facere de damnis datis in possessionibus suis, nisi usq; ad quātitatem soldorum decem paruorum. Et hoc, si ille, qui damnū dederit, fuerit de Regulatu Villæ, seu loci, cuius fuerit possessio, in quadamnum datum fuerit: alioquin si fuerit aliunde, aut damnum tale datum fuerit, ꝙ ex forma statutorum Cōis Coneglani ultra dictam summam debuerit pœna imponi, teneantur saltuarij, vel officiales dictæ Villæ, in cuius possessione damnum datum fuerit, denunciare tales damnum dantes Dominis Consulibus, & per se nullam exactionē facere, vel processum. De damnis verò datis in possessionibus singularium personarū non possint quoquo modo per se procedere, seu condemnationem, vel exactionem facere, sed illa Dominis Consulibus denuntiare teneantur, & in omnibus prædictis casibus, si secus factum fuerit, condemnetur Commune dictæ Vilæ, seu loci, in libris decem paruorum.

De Saltuarijs creandis in Villis districtus Coneglani.

COmmune cuiuslibet Villę districtus Coneglani debeat habere duos saltuarios, & plures secundum qualitatem, aut quantitatem Villarum bonæ conditionis, qui teneantur omnia, & singula damna data in possessionibus Cōmunium, vel singularum personarum positis in Regulatibus Villarum vnde fuerint singulis dieb. Dominicis denuntiare, uel manifestare Dominis Cōsulibus, in pœna soldorum viginti paruorum pro quolibet Saltuario, qui prædicta neglexerit, vel omiserit.

De Saltuarijs circharum, & Burgorum Coneglani.

PRęterea eligantur in Burgo veteri Coneglani, in Burgo Alucco, in circhis, & in Granza Castri veteris, si eam cōtingerit habitari, sex Saltuarij, videlicet, duo in circhis Sancti Antonij, & duo ni Burgo veteri, vnus autē in Burgo Alucco, & vnus in Granza Castri veteris prædicti de hominib. habitantibus in dictis Burgis, siue circhis, qui denuntiare teneantur Dominis Consulibus omni die Dominico oēs portantes poma, fructus, vel bladum, aut res alias acceptas de possessionibus alienis in dictos Burgos, uel circhas, in pœ

K na

na soldorum viginti paruorum. Et si qua singularis persona Terre, vel districtus Coneglani voluerit eligere aliquem saltuarium, uel habere, qui curam, uel custodiam habeat de bonis, uel possessionibus suis, teneantur Domini Consules illum sibi concedere ad dictã saltariam benè, & legaliter faciendam, & ex tunc sit, & intelligatur astrictus ad ea, quæ dicta sunt de saltuarijs Villarum, & Burgorum Coneglani: fiat autem electio dictorum saltuariorum per D. Consules singulis annis, & teneantur in credẽtia denuntiationes eorũ, & de fideliter, & legaliter ipsum officium exercendo præstetur eorum saltuariorum cuilibet sacramentum, & si per denuntiam eorũ condemnatio aliqua secuta fuerit, ipsa condemnatio in partes tres diuidatur, una quarum partium sit Communis, una domini passi damnum, & reliqua Saltuarij.

De damno dato in pascuis, & alijs publicis Villarum.

SI quis in pascuis, guizzis, uel alijs publicis alicuius Cõis Villarum districtus Coneglani damnũ dederit, eisdem pœnis subiaceat, quibus subiacent alij dantes damnum in possessionibus priuatorum.

De pœnis contra forenses duplicandis.

IN causis damnorum datorum duplicentur pœnæ contra forenses, & contra dantes damna de nocte.

Quòd Domini Consules omni tempore super Maleficijs procedere possint.

IN causis damnorum datorum in Terra Coneglani, vel districtu, procedi possit omni tempore per Dominos Cõsules summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, & omni solemnitate iuris omissa, & à sententijs super his latis per Dominos Consules appellari non possit, vel alio quocunque modo per viam nullitatis, vel restitutionis in integrum resarciri, sed ipsæ sententiæ infra octo dies à die prolationis eorum executioni cum effectu mandentur, excepto quàm contra rusticos, & habitantes in Villis, quibus dierum quindecim tantum attribuimus, atque concedimus.

De

De perdicibus, & fasanis cum retibus, vel laqueis non capiendis.

AD filum, seu laqueũ, vel retia nemo capiat fasanos, vel perdices, & qui contrafecerit pro qualibet vice in soldis quadraginta paruorum, & in amissione auium condemnetur, & quilibet de hoc sit saltuarius, & possit accusare, & medietatẽ pœnæ habeat, & auium prædictarum: alia autem medietas pecuniariæ pœnæ sit Communis, & auium medietas Dominorum Consulum.

De capientibus falcones, & alias aues alterius.

QVicunque cæperit falconem, vel trizolum, austurem, seu trizolum ab austure, accipitrem, & muscardum, aut smerialum alterius, teneatur postquam cæpit illum sequenti die pręsentare Dominis Consulibus, &, si inuentus fuerit, cuius fuerint dictæ aues, restituãtur domino sine querela, ita tamẽ, quòd ille, cuius fuerint det inuentori capienti de falcono, vel terzolo à falcono soldos viginti paruorum, de austure, uel terzolo ab austure, vel accipitre, soldos decem paruorũ; de moscardo verò, uel smerialo soldos quatuor paruorum, & expensas, si quas fecerit in dictis auibus, & ille, qui sic cęperit, si, vt dictum est, ipsas aues non præsentauerit, condẽnetur Cõi pro falcono, vel terzolo, in libris decem paruorũ, pro austure, uel terzolo ab austure, vel accipitre, in libris quinque paruorum, pro muscardo, uel smerialo in soldis uiginti paruorũ, & in quolibet prædictorum casuum medietas pœnæ sit Cõis, alia medietas accusatoris, & nihilominus condemnetur, qui tales aues non restituerit, vt dictũ est, domino cuius fuerit ad æstimationẽ, & ualorem ipsarum, q̃, vel quem dominus earũ legitimè probauerit valuisse.

De furantibus falcones, vel aues alias alterius.

SI quis furatus fuerit aliquam auium pręedictarum in statuto cõtentarum cum trabuchello, vel alio laqueo, seu ingenio, condẽnetur Cõi in libris vigintiquinq; paruorũ, pro falcono, s. vel terzolo à falcono, ꝓ austure, uel terzolo ab austure, uel accipitre in libris decẽ par. Cõi condẽnetur: pro alijs verò auib. in soldis centũ paru.

Et, si fuerit aliquem liurerium furatus, brachium, vel mastinum, seu alium quemuis canem alicuius alterius ab ausello, vel cazza, seu venatione, in libris decem paruorum Communi condemnetur, & nihilominus rem ablatam restituat; Si quis verò scatiuerit, vel alium colorem dederit alicui dictarum auium, aut fraudem aliquam commiserit, ne cognoscantur, in libris etiam decem paruorum Communi condemnetur. Et, si totonderit, vel inciderit auriculas, vel caudã alicui prædictorum canum, aut colorem alium dederit, vel fraudem aliam, quominus cognoscatur, commiserit, in libris quinque paruorum condemnetur. Et in omnibus prædictis casibus credatur domino talis canis, vel auis, cum vno teste, & sacramento eius, dummodo fuerit bonæ famæ, & opinionis.

De eo, qui occiderit falconem, vel canes alterius ab ausello, vel cazza, aut quodcunque pecus, vel animal.

SI quis falconem, vel alium ausellum alterius à rapina, liurerium, vel alium quemuis canem ab ausello, vel cazza, aut quodcunque pecus, vel animal occiderit, condemnetur domino ad emendationem damni, quod ex facto huiusmodi passus fuerit, & nihilominus Communis Coneglani pœnæ nomine componat quartam partem eius, quod dictus ausellus, canis, pecus, vel animal à tempore mortis ualuerit, &, si dictum ausellum, canem, vel pecus, aut aliud animal vulnerauerit, damnũ emendet domino, & condemnetur pęnæ nomine in quarta parte ęstimationis dicti dãni Cõi Coneglani.

Quod non audiatur condemnatus in eius fauorem, nisi condemnatione soluta ascendente summam librarum viginti quinque paruorum.

SI quis condemnatus fuerit Cõmuni Coneglani in libris uigintiquinque paruorum, uel abinde supra, & condemnationis terminus sit elapsus, nõ audiatur in iudicio, nec aliquod ius ei uel procuratori suo reddatur, &, si sententia, uel alia scriptura in fauorem eius prolata, uel scripta esset, nullius sit roboris, uel mõmẽti: contra eum autem ad aliorum petitionem procedi benè possit, & hoc donec ipsam condemnationem non soluerit integraliter.

De

De capientibus bannitos Communis, vel eius instinctu capi facientibus.

STatuimus,& ordinamus, quòd, si quis cœperit aliquem bannitum Communis Coneglani de persona, & ipsum præsentauerit,& dederit in fortiam Communis Coneglani, vel Dominorum Consulum, habeat, & habere debeat de bonis Communis Coneglani libras quadraginta paruorum. Si quis verò accusauerit aliquẽ bannitũ Cõis Coneglani de persona, taliter, ꝙ per eius accusam capiatur, & habeatur ille talis bannitus de persona, habeat,& habere debeat libras vigintiquinque paruorum à Cõi Coneglani,& in omnibus casib supradictis de bannitis in quolibet membro detur medietas dictorum denariorum,& pro condemnatis in pecunia detur quartum capienti eius, in quo erat condemnatus.

De forensibus non valentibus per Terram arma portare.

NVllus forensis, qui non sit de Terris, & iurisditione dominij nostri Illustrissimi, postq̃ intrauerit hospitium, tàm in Terra Coneglani, q̃ in circhis, seu Burgis non audeat per dictam Terrã, vel Burgos Coneglani aliqua arma offensibilia portare sub pœna soldorum viginti pro quolibet cultello à feriendo, & soldorũ quadraginta pro spleto, lãcea,& ense, cuius pœnæ medietas sit Cõis, reliqua accusatoris. Et præsens statutum sibi locum non vendicet in aliquib. ambasciatoribus hac transeuntibus, & teneantur albergatores, & alij qui in domibus suis receptauerint aliquos forenses ipsis forensibus, & hospitibus suis denuntiare statim cum descenderint, vel ingredientur domos eorum, ꝙ arma non portent, sub pœna soldorum viginti paruorum pro quolibet forense, cui prædicta non denuntiauerint, & inuentus fuerit arma portare.

COgnoscentes ad Rempublicã pertinere Terram Coneglani populo fore frequentem,& ob rusticorũ, & laboratorum defectũ, qui propter guerras multiplices retroactas, & pestes defecerunt in maxima parte, expedire etiam superinde salubriter prouidere, præsenti statuto duximus ordinandum, quòd quicunque forensis, qui de alia quacunque Terra, uel districtu, uenerit ad habitandum cum eius familia in Terra Coneglani, uel eius districtu,

& iurauerit, se uenire animo, & intentione perpetuò in dicta Terra & districtu Coneglani habitandi, sit, & esse debeat absolutus à custodijs omnibus Terrę Coneglani vsque ad annum vnum computandum à die, quo sic uenerit ad habitandum, & absolutus sit usque ad quinque annos, & in toto intelligatur esse ab omnibus, & singulis factionibus, angarijs, & oneribus quibuscunq; Communis Coneglani, & eius districtus. Et præsens statutum sibi locum non vendicet in aliquibus Ciuibus, siue rusticis, qui de Terra, vel districtu Coneglani recesserunt ob guerras elapsas.

Quòd nullus forensis incanipare possit victualia aliqua in Terra Coneglani, vel districtu, & cętera.

ORdinamus, quòd de cętero nullus forensis posit incanipare in Terra, vel districtu Coneglani aliqua victualia, vel grassã aliquam ultra quam per tres dies continuos, quin illa uictualia, vel grassam, aut Ciuibus & districtualibus Coneglani vendat, aut aliò conducat, soluẽdo, quod de iure tenetur ante terminum antedictũ sub pœna librarum vigintiquinque paruorum, si res huiusmodi incanipatæ fuerint valoris librarum centũ, vel inde infra Si uerò fuerint valoris vltra libras centum condemnetur in libris quinquaginta paruorum, & nihilominus postquam fuerit condemnatus teneatur denuò infra diem tertiũ, aut uendere modo consimili suprascripto, aut aliò conducere, sub eadem pœna superius expressa totiens committenda per eundem forensem & exigenda quotiens per eũ in dictis terminis fuerit cõtrafactum, & nullus Ciuis, uel districtualis Coneglani audeat uel præsumat taxare res prædictas forensiũ tanquam suas, quod si fecerit, subiaceat omnib. pœnis superius cõtentis, & totiens condemnetur, quotiens in terminis prædictis fuerit contrafactum, ut est dictum in forense, & quilibet posit accusare huiusmodi contrafacientes, & habeat medietatem pœnæ, alia autem medietas sit Communis, & hoc statutum non uendicet sibi locum durante guerra præsenti.

De

De dimittentibus hostia domus aperta post tertium sonum campanæ.

SI quis post tertium sonũ campanæ dimiserit hostium domus, in qua habitat, apertum, condemnetur in soldis decem paruorum pro qualibet uice, & hoc in clibanarijs, seu fornarijs locum non habeat.

De letamine non tenendo, nec fiendo ante domos.

ORdinamus, quòd nemini liceat tenere letamen ante domum suam, vel alibi in vijs Castri, & Burgi Coneglani quolibet tẽpore à quinque diebus in antea, & terram cauatam ab octo diebus in antea, quibus dictum letamen de stalla eiectum fuerit, vel ipsa terra cauata eiecta fuerit, nec stramen in vijs ponere, nec letamen facere; & si quis contrafecerit in soldis decem paruorum cõdemnetur Cõmuni totiens quotiens contrafecerit, & inde auferre teneatur, & de non faciendo letamen in vijs seruetur etiam in Burgis, & circhis Coneglani.

De apprestamento lignaminis ante domos non tenendo in vijs.

ITẽ ordinamus, quòd si aliquis habuerit in Castro, vel Burgo Coneglani aliqđ apprestamentum lignaminũ, vel lapidum in vijs, illud aufere teneatur infra quindecim dies, nisi iusto impedimento, vel causa interueniente arbitrio Dominorum Consulum, &, si quis contrafecerit, in soldis decẽ paruorum pro qualibet uice Cõmuni condemnetur, & insuper illud apprestamentum debeat infra dictum terminum accipere, & remouere.

De spazzaturis, & alijs turpibus non proijciendis in Platea Coneglani.

ORdinamus, quòd nemo in vijs, vel Platea Castri, vel Burgi Coneglani debeat proicere spazzaturas, aut conzaduram coraminum, seu verberare pilum; &, si quis contrafecerit pro banno Communi soldos decem paruorum soluere teneatur quotiens cõtrafecerit, & super hoc ponãtur saltuarij per Dominos Consules in quolibet Cõsulatu, qui contrafacientes debeãt accusare, cuius bannum

num medietas sit accusatoris, & teneantur in credentia. Item non liceat alicui personæ scarnare pelles in Terra Coneglani, seu radere tomarios, uel facere multricium pellium, nec ad Solem ponere coria, & pelles crudas; & qui contrafecerit decem soldos paruorũ, vt supra, soluere teneatur quotiens contrafecerit, & quilibet accusare posit, & habeat dictę pœnę medietatem.

De spazzaturis de solario non iactandis, & alijs turpibus.

INsuper statuimus, ꝙ nemo de Castro, vel Burgo proijcere debeat de solario, siue piolo, vel per fenestram aquam, spazzaturã, cendratam, vel alia turpia in viam publicam; & qui contrafecerit in soldis decem paruorum condemnetur, & quilibet accusare posit, & habeat medietatem pœnæ, & de credentia teneatur.

De conducentibus equos per porticus, & currentibus equos.

STatuimus, quòd nullus scutifer, vel vassallus alicuius debeat currere super aliquo equo per Terram Coneglani, vel circhis, & qui contrafecerit soldos decem paruorum soluere teneatur, nisi processerit de voluntate Domini Potestatis Idem etiam intelligantur ad eandem pœnam incurrere quicunque equum, vel equos conduxerint per porticus Terræ Coneglani, & quilibet posit accusare, & habeat dictæ pœnæ medietatem.

De intestinis, seu ventribus non fondrandis in beccaria, & alijs turpibus.

INsuper nullus Beccarius de Coneglano debeat fódrare, vel aperiri facere ventrẽ, vel ventres alicuius bestiæ minutæ sub beccaria Burgi Coneglani de intus, vel de foris in circuitu beccariæ, vel aliquas carnes putridas iactare, vel stramen, aut aliam turpitudinẽ proijcere in guazzatorẽ; &, si aliquem ventrem alicuius bestiæ bouinæ aperuerit, vel sfondrauerit, teneatur illud turpe omni hebdomada auferre, & beccariam diligenter, & benè scopare, & emundare, & cum aqua similiter omni hebdomada lauare, & qui contrafecerit in soldis decẽ paruorum Communi condẽnetur totiens, quotiens fuerit cõtrafactum, & quòd nullus homo, vel persona audeat

gestare,

gestare, uel mingere sub beccaria, uel eius circuitu de intus, uel de foris, & qui cõtra fecerit soldos decem soluere teneatur, & quilibet accusare posit, & habeat pœnæ medietatem, & de credentia teneatur.

De salerijs, andronis, stabulis, & aliis, & de porcabus lactantibus, vel plenis per Terram ire non permittentibus.

QVilibet de Terra Coneglani teneatur facere unam bonam saleram inter unam domũ, & aliam super porticus, ita, quòd aqua pluens non cadat in ipsas porticus, & debeat andronas suas benè claudere de lignamine, uel de muro, & quòd nullus pullinarium super porticib. habere debeat, nec facere porcilia, vel alia stabula subtus tabulas, vel propè porticus, & quòd nullus aliquam porcam lactãtem, vel plenam per Terram ire permittat vllo modo, & quilibet contrafaciens pro qualibet vice in quolibet casuum suprascriptorum, soldos decem paruorum Cõmuni soluere teneatur, & Procurator Cõmunis per sacramentum tenere, & videre debeat obuiantes.

De fontibus in conzo tenendis.

STabilimus, quòd Procurator, & Massarius Communis Coneglani debeat in cõzo teneri facere cisternas de Castro, puteũ, & fontem de Burgo, & quòd nulla persona debeat ad dictas cisternas, puteum, & fontem lauare filladum, herbas, pãnos, vel aliquid aliud, nec aliqua vasa, per quæ aqua deturpetur, & qui contrafecerit soldos quinque paruorum pro qualibet vice soluere teneatur, & posit quilibet accusare, & habebit pœnæ medietatem, & tenebitur de credentia.

De non ædificando iuxta vias sine licentia.

ITem ordinamus, quòd nullus ædificare debeat, vel facere ædificari aliquod lignaminis ædificium, siue muri apud vias, uel stratas Coneglani in Terra, uel in Burgis sine licentia Dominorũ Consulum, & Procuratoris Communis, & Antianorum, & eorum uerbo; & qui contrafecerit in soldis centum paruorum Communi cõ-

demnetur,

demnetur, & in paucioribus arbitrio Dominorum Consulum, inspecta qualitate facti, & nihilominus tale ædificium destruatur.

De non conducendo equum habentem vermem, vel ruzigum.

ORdinamus, quòd nullus debeat conducere, uel conduci facere per Castrum, uel Burgum Coneglani aliquem equum habentem uermem, nec illum huiusmodi equum, uel alium ruzigum existentem conducere ad bibendum ad fontem Burgi Coneglani, & qui contrafecerit pro quolibet, & qualibet uice soldos decem soluere teneatur, & possit quilibet accusare, & habeat pœnæ medietatem, & de credentia teneatur.

De turpibus in Monticano non fiendis.

ITem, quòd nemo debeat scarnare, uel ponere coria, uel abluere pannos, aut ponere linum in aqua, uel aliqua sedilia, seu turpia facere, uel proijcere in Monticanum à ponte Monticani usq; subtus Ecclesiam Sancti Laurentij, nec supra dictum pontem coramina, seu pelles aliquas ponere; & qui cõtrafecerit soldos uiginti paruorum Cõi pro banno soluere teneantur quotiens contrafecerit, & Procurator Communis per sacramentum quotiens prædicta sciuerit, uel uiderit, Dominis Consulibus denuntiare teneatur, & quilibet etiam alius ualeat accusare, & habeat dictæ pęnę medietatem, & de credentia teneatur.

De via postoymæ, & alijs vijs inquirendis per Procuratorem Communis, ne deuastentur.

STatuimus, q Procurator Cõis per sacramẽtum operari debeat q via postoymę, per quam itur versus Taruisium, debeat in cõzo teneri, & põtes dictæ viæ. Et q nullus de ipsa via postoymæ cauare debeat, nec de vijs Sancti Martini, Mõtesellæ, & Ferrarię, nec de alijs vijs publicis circa unum milliare à Terra Coneglani, & qui cõtrafecerit soldos viginti paruorum soluere teneatur totiens quotiens contrafecerit, & qđ deuastauerit reaptare diligenter, vt prius omnimodò, & subitò compellatur, & nullus pontem aliquem facere debeat nociuum dictæ viæ postoymæ in dicto banno, & Procu-

rator

ratoromni quintadecima die uidere de hoc debeat in dicto bāno, & quilibet cōtrafaciētes accusare posit, & penę medietatē habeat.

Qualiter fieri debeant stropatura inter vicinos.

TEneatur quilibet facere pro dimidia feraturas, seu stropaturas inter se, & domos, seu hortos, curias, uel clausuras uicini, seu consortis sui de lapidibus, uel sepibus secundum locorum cōsuetudinem; &, si ille, qui claudere uoluerit, denuntiauerit dicto suo cōsorti, uel uicino per iudicem, uel ex parte iudicis, q debeat claudere partem suam, & non clauserit infra quindecim dies postq̄ ei denuntiatum fuerit, liceat illi, qui denūtiari fecerit, dictam clausuram, uel stropaturam facere, & D. Consules teneātur summariè, & de plano cōpellere illum, cui denuntiatum fuerit ad reficiendum expēsas sibi cōtingentes, quas ille talis fecerit in claudēdo, de quib credatur sacramēto claudentis, & sit præcisum, & idem intelligatur etiam in Villis districtus Coneglani, excepto q̄ inter curtiuia, & habitationes, & hortos, & terras adherentes dictis casalibus, habitationibus, & hortis, quo casu habentes dictas possessiones seu terras penes dicta casalia, habitationes, & hortos non teneantur ad dictam stropaturam; Et quæ de clausuris, uel stropaturis dicta sunt, idem intelligatur de fossatis communibus, si fuerit utile utrique parti.

De posta Molendini Communi inter plures, & modo laborandi.

SI plures habuerint cōem inter se aliquam postam Molendini, & aliquis, vel aliqui ex eis voluerint aliquod opus necessariū, vel vtile in dicto Molendino, vel pro dicto Molendino facere, aut ipsum molendinum reędificare, liceat illis, qui hoc voluerint, dictū opus facere, & molendinū reædificare, &, si socij, vel consortes eorum cessauerint partem eis contingentem pro dicto opere attribuere teneātur expensas sibi contingentes, quas in opere huiusmodi fecerint secundum taxationem duorum bonorum hoīum eligendorum per ipsos, tunc, & eo casu Domini Consules teneantur compellere consortem, qui ad dictum molendinum noluerit laborare, ad satisfaciendum suæ partis expensarum factarum in reaptatione, vel ædificatione.

ædificatione dicti Molendini; &,si dicti duo concordes esse nõ possent, tunc Domini Consules teneantur tertiũ eligere, partibus non suspectũ, & stetur taxationi ipsorum trium, vel majoris partis eorũ. Et quę dicta sunt de consortib. molendinorũ, locum habeant in cõsortib. oĩum aliarum rerum. Hoc addito, ꝙ, si Molendinum in integrum, vel de nouo expedierit reædificari, anteq̃ aliquis ex consortib. dictum opus à se incipiat, teneatur citari facere alium consortẽ coram D. Cõsulibus, & petitionem suã facere de prædictis; & Domini Consules teneantur terminum statuere ipsi cõsorti, vt eis melius videbitur attenta conditione facti, & personarum, ꝙ infra certum terminum contribuat consorti partem sibi tangentẽ pro dicto Molendino reædificando, vel eam paret pro parte sua, quo casu, & termino, si tunc non fecerit, sit licitum consorti facere ædificari per modum, vt dictum est.

De Molendinis reaptandis.

INsuper, quia multi conqueruntur Molendina sita super flumine Monticani fore vltra rationis debitum eleuata, ob quod infinitæ possessiones, ac viæ publicæ in diluuijs aquarũ damnum incurrũt: Ideo super præmissis salubriter prouidere volentes præsenti statuto duximus terminandum, vt mox finita guerra præsenti infra spatium duorum mensium D. Consules, qui pro tempore fuerint expẽsis illorum, quorum sunt dicta molẽdina mittere debeant pro duobus meliorib. magistris de hac materia informatis, quos sciuerint, & in his partib. Cenetensibus habere poterint, & vti per eos fuerit terminatum facta diligenti examinatione, sic dicta molendina ad illam altitudinem reducantur; & terminatio illa, & altitudo in libris Cancellariæ Cõis Coneglani distinctè ad memoriam annotetur; & facta ipsa terminatione, de cętero non liceat alicui habenti dicta molendina illa in aliquo eleuare vltra formam, & modum statutũ, nec eleuari facere sub pœna librarum vigintiquinque paruorum pro quolibet, & qualibet uice, qua fuerit contrafactũ; & nihilominus, si ob hoc aliqua specialis persona, vel Commune damnum aliquod passum fuerit, ad dupli restitutionem, & emendationem dãni

ni integraliter compellatur, opusque illud in eleuatione constructum pœnitus destruatur.

De Tabernarijs.

QVilibet Tabernarius vendens vinum ad spinam, teneatur habere vnum mastellum coopertum, in quo retineat aquã pro abluendo ciatos cum vna spina in parte inferiori dicti mastelli, per quam extrahatur aqua ad abluẽdum ciatos, ut est dictum: ita, quòd nullus in eo manus possit abluere, in pœna soldorum decem paru. pro quolibet, quorum medietas sit Cõis, & alia accusatoris.

De Tabernarijs.

TAbernarius aliquis vendens vinum ad minutũ in Terra Coneglani, vel eius districtu, non audeat, vel præsumat postquã dictum vinum ad manum posuerit ponere, vel misturare in dicto vino aliud uinum, vel aquam; & si quis contrafecerit in soldis cẽtum paruorum condemnetur, & quilibet possit accusare, & habeat medietatem pœnæ; & de prædictis stetur sententiæ duorum hominũ eligendorum per Dominos Consules; & idem intelligatur de eo, qui vendiderit vnum vinum pro alio quantum ad pœnam prædictam, non obstantibus alijs pœnis maioribus.

De non tenendo Tabernam apertam, nec vendendo vinum de nocte.

NOn liceat alicui Tabernario de nocte vendere vinum alicui, vel aliquem tenere in taberna, vel hostium dictæ tabernæ apertum tenere post tertium sonum campanæ, in pœna librarum trium paruorũ pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet possit accusare, & habeat pœnæ medietatem.

De iustis mensuris tenendis.

TAbernarius quilibet vendens vinum in Terra, vel districtu Coneglani, teneatur habere, & tenere bonas, & legales mẽsuras bullatas, & coæquatas ad mensuram Cõis, & cum illis vẽdere, & iustè mensurare; & si quis contrafecerit, tenendo aliam, seu fal-

ſam menſuram condẽnetur pro qualibet menſura in ſoldis centum paru. Si fuerit verò cum iuſta menſura repertum male mẽſuraſſe, condẽnetur pro qualibet vice, & qualibet fiala in ſoldis decẽ paru. & quilibet accuſare poſſit, & habeat dictę pœnę medietatẽ. Saluo, ꝙ ſi ille, qui vinum portauerit dixerit ſe ſparſiſſe, vel bibiſſe de dicto vino dictus tabernarius nullatenus condemnetur.

De ludo vetito.

NVlli liceat aliquem ludum vetitum ludere in Terra Conegla ni, vel eius districtu, aut facere rationem dicti ludi, niſi in domib & in Plateis Caſtri, & Burgi Coneglani, in pęna ſoldorum cẽtum paruorum pro quolibet, & qualibet uice. Idem in eo, qui ad ipſum ludũ mutuauerit intelligatur, & quilibet accuſare poſſit, & habeat pœnæ medietatem; & ludus vetitus intelligatur omnis ludus ſolus taxillorum.

De præſumptione ludentium.

LVdere præſumantur nulla in contrarium probatione amiſſa omnes infamati, & ſuſpecti de ludo, & de mutuãdo ad ludum, & etiam amentatores, & conſueti luſores, & mutuatores, qui in domo, curia, aut horto alicuius perſonæ, de qua ſit ſuſpitio, vel fama, ꝙ teneat ludum inuenti fuerint per officiales Dominorum Conſulum circum aliquod tabulerium, diſcum, vel aſsidem. Item ludere præſumatur quicunque ex prædictis perſonis fugerit ante officiales prædictos eo tempore quo iuerint tentando de ludis in domib. prædictis, ut dictum eſt, & tanquam luſores puniantur.

Quando impunè ludi poſſit, & in domo ludum tenere.

IN domo ſua liceat cuicunque homini bonæ cõditionis, & interdum adueniente caſu aliquo tenere ludum in domo ſua, dumtamen per aliquem ludentem non ludatur ultra ſummam librarum quinq; paru. & ſi fuerit cõtrafactum, vt ſupra in alijs cõdemnetur.

De poſſentibus ad vinum impunè ludere.

LIcitum ſit omnibus volentibus ludere ad vinũ poſſe ludere vſque ad quatuor metretas vini ſimul ſi fuerint duo ludentes, &

ſi

si plures fuerint, liceat eis ludere successiuè vsque ad dictum numerum metretarum.

De ratione ludi vetiti non reddenda.

DE aliquo ludo vetito alicui ratio nō reddatur, nisi talis ludus fieret tempore nundinarum, quæ fiunt de mēse Octobris, de mense Maij, & de mense Augusti, & in Dominico Sancti Lazari, & in ipsis nundinis, vel in festo Natiuitatis Domini, una die precedēti, & una die sequenti, quo casu quæstiones, & lites dictorum ludorum, & ex ipsis ludis descendentes secundum consuetudinē Terræ Coneglani, summariè terminentur. Cæterùm si quis cū taxillis falsis, uel alijs fraudulenter achiuellando, uel socium, siue socios decipiendo uicerit ad ludū aliquam pecuniæ quantitatem, Domini Cōsules compellere talem, qui uicerit teneatur ad restitutionem dictæ pecuniæ faciendam illi, qui dictam pecuniam amiserit; & de amissione credatur perdēti cum sacramento, & uno teste, & etiam eum in soldis cētum paruorum condemnare Cōmuni, & intelligantur omnes ludi uetiti azardi, & biscazariæ, exceptis alearum, scaccorum, & sonorum.

Contractus non tenentes facti ratione ludi.

COntractus, & obligationes, qui, uel quæ facti fuerint pro ludo uetito, & occasione ludi uetiti nullius sint momenti renunciationibus, & pactis aliquib. non obstantibus, & presumantur cōtractus, et obligationes factas esse pro ludo, et occasione ludi uetiti omnes qui, et quæ initi fuerint cum aliquibus, de quibus suspitio, uel fama sit, quod sint lusores, uel receptatores ludi, uel quod ad ludum uetitum consueuerint mutuare, uel facere mutuari in determinatione tamen Dominorum Consulum. Idem in eo si prædicti cōtractus, uel obligationes initi fuerint cum aliquibus subiectis potestati talium personarum.

De Mercatoribus, & Artificibus.

MErcatores quicunque, & alij exercētes artem, uel ministeriū aliquod in Terra Coneglani, uel districtu, teneantur benè,

& legaliter eorum ministeria, & artes exercere sine dolo, & fraude, sub pœna eis auferenda per Dominos Consules, vti eis melius videbitur, attenta conditione facti.

De mensurando cum iustis mensuris.

OMnes ementes, & vendentes in Terra, vel districtu Coneglani, mercimonia, victualia, pannos, telam, vel quascunq; alias res, quæ vendi consueuerint ad pondus, vel mensuram, teneantur illa emere, & vendere ad pondus, vel mensuram Communis, seu ad pondus, vel mensuram adiustatam, & coæquatam cum pondere, vel mensura Communis, & non aliter; & qui contrafecerit de non mensurando, ac ponderando cum mensuris iustatis, puniantur pro qualibet vice in soldis viginti paruorum, cuius pœnę medietas sit Communis, & alia accusatoris.

De carnibus, & caseo, & alijs rebus vendendis cum statera bullata.

NEmo in Terra, vel districtu Coneglani, possit vēdere carnes siccas porci, vel caseum, linum, vel lanā, nisi ad stateram ferream bullatam signo Cōis, vel ad bilantiam, quę sit ad pondus staterę, in pęna soldorum quadraginta paruorum pro qualibet vice; & quilibet possit accusare, & habeat pœnæ medietatem; & prædicta non vendicent sibi locum in caseo, & alijs rebus, quę venduntur in Platea, & alibi per alios, quam per reuendiculos, vel reuendiculas, ad oculum, & non ad pondus. Et si contigerit aliquem malè ponderare de rebus suprascriptis, condemnetur pro vncia qualibet in soldis tribus paruorum, cuius pœnę medietas sit Communis, & alia medietas officialis, vel accusatoris.

De falsis mensuris, & ponderibus non tenendis in Stationibus.

QVicunque apothecarius, vel merzarius, vel alius stationarius inuentus fuerit tenere, vel habere in statione, vel apotheca, in qua ministerium suum, seu suam artem exercet, aliquam falsam mensuram, seu falsum pondus, vel stateram, aut falsam bilanciam, condemnetur pro quolibet, & qualibet uice in quinque

libris

libris paruorum. Idem si inuentus fuerit habere pondera, uel mensuras, quæ coæquata, uel iustata non fuerint cum pondere, vel mensura Communis Coneglani, cuius pœnæ medietas sit Communis, alia medietas accusatoris.

De torquilis, & candelis faciendis de cera noua.

APothecarius quilibet, & alius exercens artem apothecariæ, vel speciariæ teneatur candelas, & torquilos, seu duplerios, quas fecerit, vel tenuerit ad vendendum de cera noua, & cum papiris bambicinis nouis, & bonis facere modo aliter; & qui cõtrafecerit in soldis centum paruorum condemnetur pro qualibet vice, & cerã perdat, & quilibet accusare possit, & denuntiare, & habeat pœnæ medietatem. Possint autem dicti Apothecarij, vel speciarij impunè laborare de cera ueteri, & de ipsa facere torquilos, uel candelas, dummodò solum de illa laborent non cooperiendo ipsam de nouo, sed ipsam vendendo pro cera ueteri, Et qui cõtrafecerint ad dictam pœnam teneantur, & ad pondus prædicta uendere teneantur, & non aliter, nisi id, qđ uendetur esset minoris ponderis unius quartesij sub pœna prædicta.

De piperata, & alijs speciebus cum alijs turpibus non miscendis.

NVllus apothecarius, uel speciarius, seu merzarius audeat, uel presumat ponere, uel miscere in piperata, uel alijs speciebus aliquid, per qđ fraudetur, seu fraudata esse intelligatur aliqua prædictarum rerum, seu specierum, in pœna soldorũ quadraginta paruorum pro qualibet uice; & quilibet posit accusare, & habeat pœnæ medietatẽ. Idẽ in eo, qui miscuerit in cãdelis aliquas res sofisticas, uel sepum aliàs in opere positum, quas candelas ad pondus uẽdere teneantur sub dicta pena uidentibus, ementibus, & uẽdentib.

Quòd quilibet vendat oleum, carnes, & alia iuxta ordinem eis impositum.

NOn liceat alicui apothecario, uel merzario, aut alicui uẽdere ad minutum oleum, caseum, salẽ, uel carnes recẽtes, seu siccas, nisi secundum formam, & metam, quã D. Cõsules, & Antiani

eis dederint, vel alij, qui per eos super hoc fuerint deputati; & si quis contrafecerit puniatur in soldis centum paruorum pro qualibet vice, & posſit quilibet accuſare, & habeat pœnæ medietatem.

De Beccarijs, siue Macellatoribus.

MAcellator, siue Beccarius quilibet teneatur vendere cuicunque petenti de carnibus, quas habuerit ad vendendũ in quacunque parte beſtiæ emere volens petierit, & pro eo pretio, quod fuerit ordinatum, ſub pœna ſoldorum viginti pro qualibet vice, & credatur cuiuslibet ſacramento denuntiantis dummodò fuerit bonæ famæ in determinatione Dominorum Conſulum. Prętereа etiã teneatur dare zontam ſolummodò de carnibus illius beſtiæ de quã fuerint venditæ carnes: ita tamen, quod zonta de capite, aut pedibus, vel figado, siue epate, vel ſplena dare non poſsit ſub dicta pœna ſoldorum viginti paruorum pro qualibet vice. Et ſi contigerit Beccarium falſum pondus facere, condemnetur pro qualibet vncia in ſoldis tribus paruorum, & perdat carnes.

De Beccarijs vendentibus carnes aliquas pro eis, quæ non ſunt.

NVllus etiam Macellator, ſiue Beccarius per ſe, aut perſonam interpoſitam vendat aliquas carnes pro alijs carnibus ſic nõ exiſtentibus, ſub pœna ſoldorum centum paruorum pro quolibet, & qualibet uice, qua fuerit contrafactum; & quilibet accuſare poſſit, & habeat pœnę medietatem.

De carnibus pecudinis, vel hyrcinis non tenendis in eadem banca cum alijs carnibus.

NOn poſsit aliquis Beccarius in vna, & eadẽ banca, vel brocca, nec in calatho, vel arca tenere carnes pecudinas, caprinas vel hyrcinas cum carnib. caſtratinis, vel cum carnib. moltoni, ſiue arietis, vel carnes porcæ, ſeu verri cum carnib. porci caſtrati, ſed tenere debeat per ſe in alia banca, ſeu brocca, inter quas bancas, ſeu broccas ſit ſpatium triũ pedum, ita, quod dictæ carnes non poſsint inſimul miſceri, in pęna librarũ quinq; paru. pro quolibet, & qualibet vice, in qua fuerit contrafactũ, & quilibet denuntiare poſsit, & habeat pęnæ prædictæ medietatem. De

De carnibus non mantigandis, vel inflandis.

NVllus Beccarius mantiget, uel inflet aliquas carnes, & qui cõtrafecerit in soldis viginti paruorum pro qualibet vice condemnetur, & quilibet accusare possit, & habeat dictæ pœnæ medietatem.

Quòd Beccarij non occidant, nec vendant bestiam aliquam infirmam.

NOn audeat, vel attentet aliquis Beccarius uendere, vel occidere pro vendendo aliquam bestiam infirmam, vel mortisinam; & qui contrafecerit in libris decem paruorum condemnetur, & carnes amittat, quæ proijciantur ad canes, & quilibet accusare possit, & habeat dictæ pœnæ medietatem.

Quòd Beccarius non appendat virgam, aut testiculos alicui bestiæ.

BEccarius aliquis non teneat, uel appẽdat alicui bestiæ, siue animali, virgã, aut testiculos alterius animalis sub pœna soldorũ quadraginta paruorũ. Cæterùm teneatur Beccarius quilibet dimittere cuilibet castrono de pelle ipsius propè uirgam, seu testiculos, & cuilibet capreto pellem caudæ, & aurium, in pœna soldorum uiginti paruorum in quolibet casuum prædictorum; & quilibet accusare possit, & habeat pœnæ medietatem.

Quòd non vendantur ad macellum aliquæ carnes, nisi pretio imposito per officiales Coneglani.

NVlli Beccario liceat uendere aliquas carnes cuiuscunque cõditionis, nisi prius à Dominis Cõsulibus, & Antianis, seu ab officialibus ad hoc deputatis pretium dictis Carnibus impositum fuerit, sub pœna librarum decem paruorum; & possit quilibet accusare, & habeat pœnæ medietatem. Cæterùm teneatur ipse quilibet Beccarius iuxta taxationem precij datam per præfatos Dominos Consules, & Antianos, seu officiales, ipsas carnes eo pretio uendere, nec de macello asportare sub pœna prædicta.

Quòd non occidantur animalia alibi, quàm sub macello.

NVllus Beccarius audeat, vel præsumat occidere, nec occidi facere aliqua animalia, quæ velint ad macellum uendere, alibi, quàm sub dicto macello Communis in conspectu videre volentium, exceptis porcis, quos vbicunque voluerint possint occidere, & qui contrafecerit in libris quinque paruorum condemnetur, & possit quilibet accusare, & habeat pœnæ medietatem.

De reuenditoribus, & tricolis.

IN Terra Coneglani, vel circhis, aut Burgis nō possit aliquis hosterius, vel hosteria, reuēditor, seu tricolus, vel tricola, per se, vel per alios ante horam sextæ emere pullos, gallinas, anseres, aut oua, vel aliquas aues, aut bestias siluestres, vel fruct⁹ aliquos, aut alia aliqua victualia, seu comestibilia; & qui cōtrafecerit, in sold. 20 paru. condemnetur, quorum medietas sit Cōis, & reliqua accusatoris.

Quòd nullus portet perdices, vel alias aues extra districtum Coneglani sine licentia.

NVllus perdices, fasanos, vel alias aues, vel bestias siluestres extra districtum Coneglani debeat portare ad vendendum, sine licentia, & bulletta DD. Cōsulum, & qui contrafecerit in soldis quadraginta paruorum Cōi cōdemnetur, & aues, seu bestias tales amittat, & quilibet accusare possit, & habeat dictę pęnę, & auiū siue bestiarum medietatem, reliqua pecunia medietas sit Cōis, & auium, siue bestiarum sit, reliqua medietas DD. Consulum.

Quòd mulieres vendentes in Platea victualia, non audeant filare, nec pueros lactare.

MVlier aliqua vendens res aliquas in Platea, videlicet, victualia, nō debeat ibi filare, nec pueros lactare, ī pęna sold. 5. paruorū cuius pœnæ medietas sit Communis, & reliqua accusatoris.

De Molendinarijs.

MOlendinarius quilibet, seu alius, qui portauerit frumētū, vel aliud bladū alicuius personæ de Terra, vel Burgis Coneglani ad molendinum, teneatur secum habere, & portare ad domum illius,

lius, cuius fuerit dictũ frumentum, vel bladũ, vnam ſtateram iuſtã, & coęquatã cum ſtatera Cõis, & anteq̃ extrahat de domo illius frumentũ, vel bladum, quod moli debuerit, teneatur ponderare ad dictam ſtateram, & eodem modo quando reportauerit farinam reductam ex dicto frumento, vel blado ad domum illius, teneatur ſimiliter illam ad dictam ſtateram ponderare, ſi ille, cuius dictũ frumentum, uel bladum fuerit, voluerit illud, ſeu farinam ponderari. Et, ſi quis contrafecerit omittendo dictum frumentum, bladum, uel farinam ponderare, ut dictum eſt, condemnetur pro quolibet, & qualibet uice in ſoldis uiginti paruorum, cuius pœnæ medietas ſit Communis, & alia accuſatoris.

Quòd Molendinarij frumentum, & farinam ponderare teneantur.

MOlendinarius quilibet, uel alius, qui moluerit frumentũ, uel aliud bladũ alicuius perſonæ Terræ Coneglani, uel Burgorum, teneatur reddere illi, cuius dictum frumentum, uel bladũ fuerit, tantum pondus in farina, quantum fuerit põdus frumẽti, uel alterius bladi, qđ moluerit, detractis duab. libris de quolibet ſtario, habendo mulduram dicti bladi ſecundum cõſuetudinem, uidelicet partem ſextamdecimam niſi aliter, uel in pecunia conuentũ fuerit.

Quòd Molendinarij non committant fraudem aliquam in farina.

NVllus Molendinarius per ſe, uel alium, audeat, uel præſumat mareſcalcire bladum, ſeu farinam, quam moluerit, ſeu ponere in dicto blado, uel farina puluerem, uel arenam, ſiue lapides, aut aliquid aliud turpe, &, ſi quis cõtrafecerit, in libris decẽ paruorum condemnetur, quas ſi non ſoluerit infra dies decem poſtquam fuerit condemnatus, fuſtigetur publicè per Terram Coneglani ab una porta ad aliam, &, ſi calcem miſcuerit, condemnetur in libris quinquaginta paruorum, quas ſi ut ſupra non ſoluerit infra dies decem eidem manus amputetur. Et, ſi ex appoſitione alicuius dictarum rerum aliquis moriretur, furcis ſuſpendatur per gulã, ita ut prorſus moriatur, & quilibet accuſare poſſit, & habeat pecuniariæ pœnæ medietatem; alia ſit Communis.

Quòd

Quòd Molendinarij teneantur molere blada personarum per ordinem.

QVilibet Molendinarius teneatur molere bladum cuiuscunq; personæ per ordinem, s. bladum illius primò, qui ad molēdinū primò miserit, & sic de alijs successiuè, in pęna sold. viginti paruorum, quorum medietas sit Cōis, & reliqua accusatoris.

Quòd Molendinarij teneant molas in conzo, & post battaturam teneantur molere aliud grossule, quàm frumentum.

MOlendinarius quilibet teneatur, & debeat tenere molas benè battutas, & in conzo, & non possit aliquis post battaturā molarum primo loco frumentum molere, sed aliquod grossule mollere teneatur prius, quàm dictum frumentum, in pœna soldorū decem paruorum, quorum medietas sit Cōmunis, & alia accusatoris. Præterea non audeat aliquis Molendinarius ire super asinum habētem farinam super dorso in pœna soldorum quinque paruorū, quorum medietas sit Communis, & alia accusatoris.

De Pistoribus.

PIstor quilibet teneatur facere bonum panem pulchrum, & benè coctum, mundum ab omni lolio, & sorde, & habeat pannos mundos ad cooperiendum dictum panem specialiter deputatos; & si quis contrafecerit condemnetur in soldis viginti paruorum pro qualibet vice. Idem in eo, qui posuerit, vel tenuerit panem ad leuandum in lecto suo.

Quòd faciant Pistores ad pondus ordinatum panem.

TEneatur Pistor quilibet facere panē ad pondus, quod sibi pro tempore datum fuerit per officiales Terræ Coneglani, & si quis contrafecerit pro quolibet pane minoris ponderis in soldo vno condemnetur, & perdat panem, cuius pœnę medietas sit Communis, reliqua officialis super hoc deputati, vel accusatoris.

De fornarijs.

QVilibet fornarius, vel fornaria, teneatur, & debeat coquere panem cuicunq; volenti, benè, & fideliter sine fraude, nō obstante

ſtante, quòd ille ſolitus non fuerit mittere panem ſuum ad coquendum ad dictum furnum, in pœna ſoldorum viginti paruorum pro quolibet, & quaiibet vice, in qua dictum panem coquere recuſauerit, niſi legitimas excuſationes habuerit arbitrio Dominorum Cõſulum, cuius pœnæ medietas ſit Communis, reliqua accuſatoris.

De Fornaſerijs.

FOrnaſerius quilibet teneatur facere lapides, cuppos, & tauellas ad modulos, & formam lapidũ, & cupporum ferratas, ſeu bullatas, & adiuſtatas ad modulos, & formas Communis; & ſi quis cõtrafecerit in ſoldis centum paruorum condemnetur, cuius pœnæ medietas ſit Communis, & reliqua accuſatoris.

Quod Fornaſerij vendant lapides, & alia pro pretio impoſito per officiales Communis.

QVicunque Fornaſerius, qui vẽdiderit lapides, cupos, & tauellas nouos alicui de Terra, vel diſtrictu Coneglani, teneatur illos vendere, & dare pro illo pretio, quod ei tunc temporis p Dominos Conſules, & Antianos fuerit impoſitum, in pœna ſoldorum centum paruorum pro quolibet milliari, & in ratione milliaris quod aliter vendiderit, quorum medietas ſit Communis, & reliqua accuſatoris.

Quod calx ad ſtarium vendatur, & curetur ſtarium in capite menſuræ decennæ.

FOrnaſerius, & quilibet vendens calcem, teneatur, & debeat illam vendere ad ſtarium, ſeu menſuram iuſtam bullatam Bulla Communis Coneglani, & non aliter, & quilibet mẽſurans dictam calcem teneatur in capite cuiuslibet menſuræ decennæ curare ſtarium, cum quo menſurabitur ipſa calx; & ſi quis contrafecerit in quolibet prædictorum caſuum condemnetur in ſoldis centum paruorum, quorum medietas ſit Communis, & alia accuſatoris.

De precio calcis vendendæ.

QVicunque vendiderit calcem alicui de Terra Coneglani, vel diſtrictu, non poſsit vendere ſtarium calcis, vel in ratione ſta-

rij

rij vltra grossum vnum paruorũ pro stario; & qui contrafecerit pro quolibet stario, & in ratione starij, quod aliter vendiderit, condem netur in soldis quinque paruorum, quorum medietas sit Communis, & reliqua accusatoris.

Quòd venditores lapidum, & cupporum teneantur vendere cuicunque districtuali Coneglani petenti.

VEnditores lapidum, & cupporũ, tauellarum, & calcis, teneã tur quibuscunque de Terra, & districtu Coneglani, vendere dictas res pro pretijs ordinatis quandocunque petierint, in pœna soldorum viginti paruorum pro quolibet, & qualibet vice, quaquis denegauerit, vel ipsas res vẽdere noluerit, cuius pœnæ medietas sit Communis, & reliqua accusatoris.

De Murarijs, Marangonis, & alijs mercenarijs.

MArangoni, Murarij, & alij mercenarij, seu laboratores labo rãtes, vel facientes opus alterius ad diem teneãtur congruis horis intrare ad laborandũ, seu opus faciendum, s. ea hora, qua pulsant de mane campanam quando custodes à muris recedunt, & stare debeant in dicto opere, seu laborerio usque ad campanam custodum de sero in æstate, & in hieme vsque ad horam, in qua pulsatur Aue Maria; & si contrafecerit perdant medietatem mercedis, & laborerij sui.

De Sartoribus.

SArtor quilibet teneatur diligenter cuicunque petenti laborare in arte sua, & pannos incidere si ad opus petitum, & declaratũ sufficere videbitur. Si autem illud incideret, & dicto operi nõ sufficeret, uel pannum aliter deuastaret, culpa, siue ignorantia sua, eidẽ, cuius dictum pannnm fuerit ad dupli damnum restitutionem compellatur. Si uerò pannũ, uel alias res sibi ad laborandum datas per aliquem furatum fuerit, aut in vsum suum, uel alienum conuersum fuerit, ad dupli damni prædicti emendationem, & restitutionem teneatur, & nihilominus pro furto huiusmodi alijs pœnis in ultra-

scriptis

scriptis statutis maleficiorum contentis subiaceat integraliter, & faciant sibi solui pro suis laborib. iustè, & rationabiliter. Siq; quæstio aliqua de huiusmodi solutionibus orirettur, D. Consules secundum qualitatem temporum, & operis faciant sibi solui, vti congruum fore videbitur.

De Ferratoribus.

POssit Ferrator quilibet accipere pro ferratura cuiuslibet pedis ronzini de nouo pro quolibet ferro soldos tres paruorum, & remissura ferri soldum vnum paruorũ. Pro ferratura uerò equi grossi soldos quatuor paruorum; & soldum unum, ac paruos quatuor pro remissura, & non ultra, in pœna soldorum quinque paruorum pro quolibet, & qualibet uice qua fuerit contrafactum.

Quòd ducentes currus per Terram Coneglani super eis stare non audeant.

RVsticus, uel alius ducens currum per Terram, & Burgos Coneglani, non audeant ire, siue stare super currum in pœna soldorum quinque paruorum pro quolibet, qui contrafecerit, & qualibet uice, cuius pœnæ medietas sit Communis, & alia accusatoris.

De modo, & ordine obseruando circa descriptionem, & imbottaturam vinorum.

AVgustinus Barbadico, Dei gratia Dux Venetiarum, &cęt. Nobilibus, & Sapientibus uiris Ioanni Andreæ Pizzamano de suo mandato Potestati Coneglani, & successorib. suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fuerunt ad præsentiã Dominij nostri Oratores istius fidelissimæ Communitatis, & præsentatis litteris uestris diei 17. Mensis nuperrimè decursi, in materia imbottatus istius loci nostri porrexerunt nobis infrascripta Capitula hoc anno per uos in satisfactionem ipsorum fidelium nostrorum adiuncta incantui imbottaturæ præfati loci, supplicãtes uelimus ea confirmare. Nos uerò auditis ipsis Oratoribus, uisisq; litteris uestris, quibus consulitis hoc fieri posse, considerata demum honestate Capitulorum ipsorum, ea laudauimus, approbauimus, & confirmauimus, præsentiumque tenore laudamus, approbamus, et cõfirmamus, uolentes, et mandantes ut ipsa Capitula obseruare, obseruarique

seruarique facere inuiolabiliter debeatis, prout iacent ad beneplacitum Dominij nostri. Tenor autem Capitulorum ipsorum talis est, videlicet,

PRimo, Che'l Conduttor, ouero Conduttori del Dacio della imbottadura, non possa, nè vaglia, per alcun modo, metter alle porte per scriuer i vini, ouero vue, ch'entrano nella Terra, altri, saluo che due Nodari, i quali saranno deputati, & eletti per il Collegio delli Nodari della Terra di Conegliano, per rotolo, secondo fanno quelli altri loro officij, & quelli che saranno eletti deputadi, sub vinculo sacramenti, siano tenuti, & obligati, legaliter, & fideliter, essercitare l'officio suo dell'estimare le vue, & vini, ch'entrano dentro delle porte, con le sue misure giuste, & coequate con le misure del Commun di Conegliano, & siano tenuti à difalcar, sì delle vue, come de i vini, la fezza, secondo cõmanda l'Illustrissima Signoria Nostra, per sue Lettere, registrate nella Cancellaria del Commun di Conegliano, alli quali due Nodari detto Conduttore, ouero Conduttori di detto Dacio, siano tenuti, & obligati dare, & esborsare, per mercede di ciascuno delli detti Nodari ducati cinque d'oro per cadauno, secondo che commanda la prefata Illustrissima Signoria nostra, vt supra.

Item, Che quando sarà il tempo d'andar à scriuer li vini di fuora, per le Ville, & Territorio di Conegliano, cioè, da San Martin, non sia lecito, per alcun modo, forma, ò ingegno, al Conduttor, ouero Conduttori di detto Dacio, andar essi personaliter à fare le stime di detti vini, nè anco mandar possa fratello, ouero parente alcuno per fino al quarto grado, ma possa, e vaglia far mandato per parte sua due soprastanti à veder loro ragion. E questi tali soprastanti siano prima appresentati dauanti il Magnifico Rettore di Conegliano, & se quelli saranno accettati, vadino, aliter non, ma siano tolti altri in suo luogo; & questi tali soprastanti habbiano per sua mercede dal detto Conduttore, ouero Conduttori, soldi vinti al giorno per cadauno, & le spese.

Item, Siano mãdati due altri huomini idonei, & sufficienti, eletti

ti per il Consiglio di Conegliano, per scrutinio, à bossoli, & ballotte, che habbiano nome di estimadori di detti vini, cum sacramento, li quali habbiano ad estimare tutti li vini delli districtuali del Territorio di Conegliano, bona fide, & sine fraude, non estimando più del douere sono detti vini, & cauando l'anfora, cioè, la fezza di ciascun carro di vino, secondo che comanda la prefata Illustrissima Signoria Nostra. Et quello stimeranno detti stimadori, essendo d'accordo con colui, ouero coloro sarãno detti vini, il Nodaro à questo deputato, debba notare nel suo libro, & subito far vn bollettino à colui di chi è detto vino, preciso come hauerà notado nel libro suo, & similiter delle bocche, quante sono in casa. Et se per caso tali estimadori non s'accordassero con il Cõtadino di chi è il detto vino, sia subito visto per il soprastante del Consiglio, per il Nodaro predetto, & per il Mariga della Villa, & quello che farà la maggior parte di loro, quello sia fermo, & stabile; & per niun modo, forma, nè sotto specie d'alcun colore si possa scriuer primacque di niuna sorte, sotto pena all'estimador, & scriuan, di lire vinticinque per cadauna botte che scriueranno di primacqua, la qual pena sia tolta à cadauno di loro, & sia diuisa per terzo, hoc modo, videlicet, Vn terzo peruenga in Commun, vn terzo al Magnifico Rettor si attrouerà, & l'altro terzo all'accusador, il qual sia tenuto di credẽza, quali estimadori habbiano dal Conduttore, ouero Cõduttori del detto Dacio soldi vinticinq; al giorno per cadauno. Et li Nodari eletti habbiano li bollettini, iuxta consuetudinem antiquam, non pregiudicãdo però ad alcun'altro Ordine, ò Prouisione della prefata Illustriss. Signoria Nostra, sopra ciò fatta. Facientes in acta Cancellariæ vestræ registrari ad futurorum memoriam.

Datum in nostro Ducali Palatio die 23. Decemb. Indict. iij. 1499.

Quòd Consules, siue iudices banchæ, non possint eligi, nisi unus per parentelam.

ANno à Natiuitate Domini millesimoquingentesimoprimo, Indictione quarta, die vigesimonono mensis Decembris, Coneglani, super Sala Palatij iuris, ubi de mandato Magnifici, & generosi Domini Antonij Zane pro Serenissimo Ducali Dominio Venetiarum dignissimi Potestatis Terræ Coneglani, congregatum erat Consilium generale Terræ Coneglani ad sonum campanæ, more solito, in quo inter cætera in ipso Consilio peracta, per præfatum Magnificum Dominum Potestatem, ac Spectabilem Equitem Dominum Franciscum Codroipum, & D. Salicum de Salicis Sindicos Cōmunitatis posita fuit pars tenoris infrascripti, uidelicet,

TEmporibus retroactis seruatum fuit, ꝙ in facto Consulū Terræ Coneglani, qui de tempore in tempus eliguntur, quòd electi fuerunt, & deputati duo, & tres, & aliquando plures de una eadem domo, seu familia, quæ res profectò ab omni honestate aliena esse uidetur, & non toleranda pluribus rationibus, & respectibus. Ad hoc igitur animaduertens Magnificus, & generosus Dominus Antonius Zane Prætor Coneglani dignissimus, & uolens, ut bonū decet Prætorem, prouidere huiusmodi inconueniēti, & ut in re huiusmodi seruetur æqualitas, & quælibet familia de Consilio particeps esse possit de dignitate Consulatus, quæ non parui est æstimā da, partem ponit huius tenoris; uidelicet,

QVod de cætero totiens quotiens acciderit eligi, & creari aliquem Consulum loco alicuius uacantis per mortem, nullus, sit qui uelit, possit creari, uel eligi Consul de aliqua domo, de qua aliquis reperiatur esse Cōsul, modo aliquo, colore, uel ingenio, & hoc sit præcisum, & habeat pœnitus locum; & Consules, qui pro tempore erunt semper quando contigerit eligi Consulem aliquem unū, aut plures, teneantur exprimere, & declarare Magnifico Domino Potestati, qui pro tempore erit, qualiter nullus potest eligi Consul de familia, seu domo aliqua, de qua aliquis reperiatur Consul sub pena librarum uigintiquinque paruorum auferenda à Con-

sulibus

ſulibus, qui pro tempore erunt quando eligetur Conſul nouus, ſeu cuilibet eorum, qui non dixerint, & declarauerint Domino Poteſtati, ut ſuperius dictum eſt, cuius pœnæ tertiũ ſit accuſatoris, qui teneatur ſecretus, unum tertium Magnifici Domini Poteſtatis, & reliquum tertium Communitatis egregiæ Coneglani, & nihilominus omnis electio Conſulis, ſeu Conſulum facta contra hunc ordinem ſit nulla, & nullius ualoris, ac ſi nũquam facta fuiſſet, & quòd præſens pars non poſsit reuocari, niſi fuerit captum per tres quartos huius Conſilij.


Et illico lecta dicta parte in dicto Conſilio, & poſita ad buſſulos, & ballotas, capta, & obtenta fuit per ſuffragia triginta proſpera, tribus in contrarium repertis non obſtantibus, & una non ſincera.

M Confirmatio

Confirmatio Illustrissimi Dominij partis suprascriptæ, videlicet, de Consulibus creandis.

AVgustinus Barbadico, Dei gratia, Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Antonio Zeno de suo Mandato Potestati Coneglani, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Fidelis ista Communitas nostra per prudentem virum Nicolaum de Doliono eius Oratorē ad præsentiam nostram missum supplicue à nobis petijt confirmationem partis nouiter per eius consiliū deliberatæ, quod Consules, siue Iudices banchæ non posint eligi nisi vnus pro parentela, quam deliberationem, vt conuenientem, & Ordinibus nostris conformem laudamus, approbamus, & confirmamus, volentes, & imperantes, vt eam inuiolabiliter obseruetis, & obseruari faciatis.
Data in nostro Ducali Palatio die nono Iunij, Indict. iiij. 1501.

Explicit liber Statutorum Coneglani.



Impressum Coneglani Typis Marci de Claseris Tridentini.

MDCIX.

PROVISIONVM DVCALIVM TERRAE CONEGLANI

LIBER PRIMVS.



ANTONIVS VENERIO, Dei gratia, Dux Venetiarum, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Remigio Superancio de suo mãdato Potestati Coneglani, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quòd in nostris Consilijs rogatorum, & additionis 1392. Indict. xv. die 7. Maij capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet, Cum Communitas Coneglani per suũ Ambasciatorem exponi fecerit, & humiliter supplicari nostro Dominio, quod cum in reddendo ius in ipso loco non seruentur ad præsens Constitutiones nostræ Taruisanæ, nec illi modi, qui solliti erant seruari tempore primi nostri Dominij Taruisanæ, quod erat valde bonum, & vtile omnibus, dignemur sibi concedere, quod in reddendo ius obseruentur Constitutiones prædictæ, & illi modi, qui seruabantur tempore dicti primi nostri Dominij. Vadit pars, quod complaceatur dictæ Communitati secũdum quod ipsa rogat, videlicet, quod reddatur ius in dicto loco, tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus secundum Cõstitutiones nostras prædictas, & per illos modos, qui solliti erant seruari tempore dicti nostri primi Dominij Taruisanæ.

Quare mandamus vobis cum dictis Consilijs quatenus prędicta in quantum ad vos spectant debeatis obseruare, & facere inuiolabiliter obseruari, facientes has litteras registrari ad memoriam futurorum.

Data in nostro Ducali Palatio die 7. Maij.

M

ANTONIVS VENERIO, Dei gratia, Dux Venetiarũ, &c. Nobilibus, & sapientibus viris Remigio Superantio de suo mandato Potestati Coneglani, & successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quòd in nostris Consilijs Rogatorũ, & additionis 1392. Indict. xv. die 28. Maij. capta fuit pars infrascripti tenoris, videlicet, Cum pridie ad requisitionem Cõmunitatis Coneglani prouisum fuerit in hoc Cõsilio, quòd in reddendo ius in dicto loco, tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalibus seruari deberent Constitutiones nostræ Taruisij, & illi modi, qui seruabãtur tempore primi nostri Dominii Triuisanæ, & in illa Coneglani dicta nostra prouisione videatur esse dubium, secundum quod per circunspectum virum Franciscum de Montalbano Ambasciatorem suum nouiter nobis exponi fecerũt, de facto modorum prædictorum, quia modi quos habet dicta Communitas non sunt continui, sed mutantur de tempore in tempus. Vadit pars ad remouendum omne dubium de mente quoruncunque, & ad declarationem Rectorum nostrorum, qui per tempora fuerint in ipso loco, Quòd intentio nostra fuit, & est, quòd de cætero in reddendo ius in ipsa Terra Coneglani, tàm in Ciuilibus, quàm in Criminalib. debeant obseruare Cõstitutiones nostras Ducales, quas ibi habẽt, & vbi dictæ Constitutiones non sufficerent debeant obseruare statuta dictæ Terræ Coneglani. Quare mandamus vobis cum dictis Consilijs quatenus prædicta in quantum ad vos spectant debeatis obseruare, & facere inuiolabiliter obseruari, facientes has literas registrari ad memoriam futurorum. Data in nostro Ducali Palatio die penultimo Maii xv. Indict.

MArcus Cornaro, Dei gratia, Dux Venetiarum, &cæt. Nobilibus, & sapientibus viris Leonardo Dandulo militi de suo mandato Potestati Taruisij, ac successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum, Mittimus vobis aliquas Prouisiones, seu partes captas in nostro Consilio rogatorum super reformatione Statutorum Ciuitatis nostræ Taruisij, præsentibus interclusas, quas obseruare, & obseruari facere debeatis inuiolabiliter, in quantum ad vos spectat. Reliquas autem in breui, domino concedente, destinabimus. Has autē Prouisiones nostras facere debeatis in actis vestri Regiminis ad futurorum memoriam registrari.

Dat. in nostro Ducali Palatio die quinto Octob. sextę Indic. 1367

Proœmium super testamentis.

CVm secundum Deum, & omnia iura mundi testamēta defunctorum post quæ aliud velle non possunt inter alia hominum negotia sint inuiolabiliter secundum puram voluntatem Testātium obseruanda, & per interpretationes, ac subtilitates superuacuas testamenta ipsa contra voluntatem testātium sæpius infringuntur in animarum præiuditium, & in dispendium nō modicum, & iacturam specialium personarum in ipsis testamentis ius habentium. Intendentes tanto defectui salubre remedium adhibere. In nomine Domini, ac B. Marci Euangelistæ Protectoris nostri ad conseruationem, & bonum nostrorum fideliū Coneglani, & Coneglanensis duximus prouidendum.

Quod de cætero quodlibet vltimum testamentum legitimè factum sit firmum, & validum; & quòd per Potestatem determinetur, siqua obscuritas appareret in eo.

QVod de cætero quodcunque vltimum testamentum factum legitimè cum sufficienti numero testium masculorum, & per personam habilem ad testandum de his, quę testari poterat, in omnibus, & per omnia sit firmum, & validum. Si verò in dicto testamento esset aliqua obscuritas, videlicet, quòd verba testamenti viderētur discrepare ab intentione testantis, & intentio videretur

discrepare à verbis, quòd tunc Potestas in hoc procedat, determinet, & diffiniat sicut secundum Deum, & iustitiam suæ prouidétiæ videbitur esse iustum in illo puncto tantùm, remanente testamento in omnibus alijs suis partibus firmo. Intelligendo semper, quòd omnia proximè dicta etiam locum habeant in casibus nondum sopitis, seu terminatis per sententiam.

De modo seruando per Notarios in testamentis conficiendis.

ITem quandocunque contigerit aliquem uelle facere testamentum, & uocatus fuerit Notarius ad scribendum illud, q Notarius teneatur, & debeat expellere de loco, in quo debebit scribi, & publicari testamentum, omnes personas ibi existentes, qui Not. cum oẽs recesserint, debeat diligẽter, & cautè interrogare testatorẽ, uel testatricẽ, antequã scribat, si uult aliquã personam suo testamento fiẽdo fore præsentẽ, & si ipse testator, vel testatrix dixerit aliquam personã velle fore præsentem, tunc Not. vocatis illa, vel illis personis, quã, vel quas testator, uel testatrix dixerit uelle fore pręsentes, & non alijs, scribat totũ illud, qđ testator, uel testatrix dicere uoluerit, & ordinauerit. Et postea scripto testamento ipse Notarius vocatis testibus, qui dicto testamento debuerint interesse, legat, & publicet illud testamentum, secundũ quòd scripserit, in præsentia testatoris, vel testatricis, & testiũ ibi vocatorum, & illarum personarum, quas testator ibi voluerit interesse, & non aliarum clarè, & apertè. Ita tamen, q testator, vel testatrix interrogetur per dictum Notarium in fine cuiuslibet legati, vel fideicõmissi, institutionis, vel substitutionis, vel cuiuslibet alterius clausulę dicti testamẽti lectæ, si vult, & sibi placet sic esse, vel fieri, prout legerit, taliter, quòd testator, vel testatrix, & testes, ac illæ personæ, quas dictus testator, vel testatrix voluerit interesse, audiant, & intelligant, & nõ alij quam supradicti. Et illi, qui steterint ad publicationem testamenti contra voluntatem, & pręceptum Notarij, cadant ipso facto de lib. centum paru. & vltra hoc quicquid eis relictum esset in dicto testamento, vel filijs, vel filiabus, tàm iure legati, quàm alia de causa, nõ valeat, nec teneat ipso facto. Et quilibet posit huiusmodi inobediẽ

tes

tes accusare, & etiam Notarius eos debeat accusare sub pœna libr. 50. paru. & vltra hoc priuationis artis Notariæ per vnũ annum, & si tertia vice ipse Not. ceciderit ad dictam pęnam, priuetur perpetuò dicta arte, & qui accusauerit, habeat tertium dictarum pęnarũ, Potestas, vel Rector tertium, & Cõe reliquum. Et nihilominus testamentum valeat in omnibus alijs suis partibus. Et quòd mulieres maritatæ debeant secundum formam statutorum Cõis Coneglani habere præsentes, quando conficiunt testamentum suũ, duos proximos, vel propinquos vel quando mulier nõ haberet propinquos. Potestas mittat duos, qui sibi placent: propinqui autem missi per Potestatem non intelligantur de personis, quæ debeant expelli.

De eodem.

ITem ad euitandũ cauillationes, & errores consulunt sapientes, ꝙ Notarij quandocunq; uocati fuerint ad scribẽdum aliquod testamentum, teneantur dicere testatori in præsentia testium, si uult, ꝙ dictum suum testamentum scribatur literaliter, uel uulgariter, & sicut testator iusserit, sic faciant Notarij, quod si Notarij nõ fecerint, cadãt de libris uigintiquinque paruorum, quæ diuidantur, sicut de alijs dictum est superius, & nihilominus testamentum ualeat.

De legitima iure naturæ debita, & eius supplemento, & quod nihil aliud peti possit.

CVM in partibus Taruisanæ, sicut notum est, acquiratur legitima naturæ, tàm de bonis mobilibus, quam immobilibus defuncti, & sæpius occurrat, quòd isti taliter acquirentes ea non contenti de hoc mouent quæstiones de bonis testatoris defuncti de ista tali legitima, licet habuerint de ipsius defuncti bonis tantundem, & forte plus, & utile, immò necessarium sit prouidere, quòd in casu quo relinquatur de bonis testatoris per aliquem testantem tantum quod sit ipsa legitima naturę, uel ultra, alicui, cui ipsam de iure uetare non potest. Vadit pars ad obuiandum multis cauillatiouibus, subtilitatibus, quæstionibus, & erroribus, qui quotidie occurrunt, & committuntur, quod ordinetur, quod si per aliquem

quem

quem testatorem relictum fuerit in suo ultimo testamēto alicui, qui acquirere posset de bonis supradicti defuncti legitimam naturę, tātum, quod sit ipsa legitima naturæ, uel ultra, quod tunc ipso facto ille talis sit exclusus à iure legitimæ, & debito naturæ petendo de reliquis bonis testatoris defuncti, nec iure legitimæ, uel debito naturæ, aut iure falcidiæ, uel trebellianicæ, aut aliquo alio modo, quo petere posse aliquid de bonis defuncti prædicti, ipse petere possit aliquid aliud de bonis ipsius testatoris mobilibus, & immobilibus occasione dictæ legitimę, uel debito iure naturæ. Quoniam, si habuerit de ipsis quantū sit ipsa legitima, uel debita naturæ, potest, & debet meritò contentari. Si uerò relinqueretur alicui per testatorem minus ipsa legitima, tunc suppleatur eidem de alijs bonis ipsius testatoris usque ad perfectionem legitimę, quam petere possit de iure in bonis, & de bonis testatoris defuncti prædicti.

Quod testamentum in aliqua parte deficiuum valeat in cæteris, & sit salua legitima.

ET si in aliqua parte sui dictum testamentum habere non possit effectum, quia esset pro non scriptum, caducum, uel quasi caducum, nihilominus testamentum remaneat in alijs suis partibus firmum, & ualidum, & in dictis pro non scriptis caducis, uel quasi caducis debeat fieri secundum statuta, & consuetudines Coneglani, quibus deficientibus secundum dispositionem iuris ciuilis. Intelligendo quod semper sit salua legitima, seu debitū iure naturæ ascēdentibus, uel descendentibus secundum ordinem Statutorum, in quo deficiente secundum formam iuris ciuilis; saluo quod si aliquis foret exhæredatus cum causis approbatis à iure, quòd tunc talis exhæredatus nihil habeat de bonis testantis.

Quando trebellianica non debetur, & hæres institutus tenetur adire hæreditatem, ex quo non generatur præiuditium sibi in bonis, vel in persona.

ET si occurrerit, q aliquis masculus, uel fœmina sit institutus hęres in testamento, & grauatus sit restituere hæreditatem alteri, non possit propterea habere dictus institutus, uel præcipere aliquid

quid in testamẽto de dicta hereditate, nisi illam partẽ, quæ sibi relicta fuerit per testãtem in dicto testamento. Ita tamen, quod dictus hæres institutus teneatur, & debeat adire hæreditatem, & eam restituere secundum dispositionem testantis, nõ possendo propterea ex hoc generari aliquod præiudicium dicto heredi instituto in bonis suis, nec in persona sua, aut successorum suorum.

De testamento non infringendo per repudiationem.

ET si testator instituerit aliquem hæredẽ in omnibus bonis suis, & dictus hæres casu aliquo repudiaret, vel non adiret hæreditatẽ, nihilominus testamentũ valeat in omnibus alijs suis partibus.

Quando debetur falcidia, & quando non.

ET si fortè aliquis testator, vel testatrix instituerit aliquem sibi hæredem in omnibus suis bonis mobilibus, & immobilibus, & prohibuerit dictum suum hæredẽ, vel hæredes uti falcidia, tunc occasione falcidiæ nihil consequi debeat, vel habere. Si verò dictam prohibitionem non fecerit, tunc considerato dictum testantẽ voluisse institutum habere maximam partem bonorum suorum, ne ob errorem, quem fecerit de bonis suis, vel ob causas emergentes sit maculata, & fraudata tam clara, tã pia, & bona intentio, quòd dictus hæres detrahere debeat de legatis tantum, quod veniat ad quartam partem bonorum testatoris: sed de legatis ad pias causas nullatenus posit detrahi aliqua falcidia, sed ipsa legata integrè, & pleno iure persoluantur.

Quòd testamentum non desinat valore ob factam præteritionem, vel exhæredationem, aut aliquos errores interuenientes, & legitima sit salua.

ET si in aliquo testamẽto esset facta præteritio, vel exhæredatio cuiuscunq; personæ, aut non essent scripta hæc verba, testibus rogatis, vel quòd Notarius fuerit rogatus scribere testamentum, tamen ipsum testamentum sit firmũ, & teneat pleno iure, salua semper legitima iure naturæ.

De

quem testatorem relictum fuerit in suo ultimo testamẽto alicui, qui acquirere posset de bonis supradicti defuncti legitimam naturę, tãtum, quod sit ipsa legitima naturæ, uel ultra, quod tunc ipso facto ille talis sit exclusus à iure legitimæ, & debito naturæ petendo de reliquis bonis testatoris defuncti, nec iure legitimæ, uel debito naturæ, aut iure falcidiæ, uel trebellianicæ, aut aliquo alio modo, quo petere posse aliquid de bonis defuncti prædicti, ipse petere posit aliquid aliud de bonis ipsius testatoris mobilibus, & immobilibus occasione dictæ legitimę, uel debito iure naturæ. Quoniam, si habuerit de ipsis quantũ sit ipsa legitima, uel debita naturæ, potest, & debet meritò contentari. Si uerò relinqueretur alicui per testatorem minus ipsa legitima, tunc suppleatur eidem de alijs bonis ipsius testatoris usque ad perfectionem legitimę, quam petere posit de iure in bonis, & de bonis testatoris defuncti prædicti.

Quod testamentum in aliqua parte deficiuum valeat in cæteris, & sit salua legitima.

ET si in aliqua parte sui dictum testamentum habere non posit effectum, quia esset pro non scriptum, caducum, uel quasi caducum, nihilominus testamentum remaneat in alijs suis partibus firmum, & ualidum, & in dictis pro non scriptis caducis, uel quasi caducis debeat fieri secundum statuta, & consuetudines Coneglani, quibus deficientibus secundum dispositionem iuris ciuilis. Intelligendo quod semper sit salua legitima, seu debitũ iure naturæ ascẽdentibus, uel descendentibus secundum ordinem Statutorum, in quo deficiente secundum formam iuris ciuilis; saluo quod si aliquis foret exhæredatus cum causis approbatis à iure, quod tunc talis exhæredatus nihil habeat de bonis testantis.

Quando trebellianica non debetur, & hæres institutus tenetur adire hæreditatem, ex quo non generatur præiuditium sibi in bonis, vel in persona.

ET si occurrerit, ꝙ aliquis masculus, uel fœmina sit institutus hęres in testamento, & grauatus sit restituere hæreditatem alteri, non posit propterea habere dictus institutus, uel præcipere aliquid

quid in testaméto de dicta hereditate, nisi illam parté, quæ sibi relicta fuerit per testâtem in dicto testamento. Ita tamen, quod dictus hæres institutus teneatur, & debeat adire hæreditatem, & eam restituere secundum dispositionem testantis, nõ possendo propterea ex hoc generari aliquod præiudicium dicto heredi instituto in bonis suis, nec in persona sua, aut successorum suorum.

De testamento non infringendo per repudiationem.

ET si testator instituerit aliquem hæredé in omnibus bonis suis, & dictus hæres casu aliquo repudiaret, vel non adiret hæreditaté, nihilominus testamentũ valeat in omnibus alijs suis partibus.

Quando debetur falcidia, & quando non.

ET si fortè aliquis testator, vel testatrix instituerit aliquem sibi hæredem in omnibus suis bonis mobilibus, & immobilibus, & prohibuerit dictum suum hæredé, vel hæredes uti falcidia, tunc occasione falcidiæ nihil consequi debeat, vel habere. Si verò dictam prohibitionem non fecerit, tunc considerato dictum testanté voluisse institutum habere maximam partem bonorum suorum, ne ob errorem, quem fecerit de bonis suis, vel ob causas emergentes sit maculata, & fraudata tam clara, tã pia, & bona intentio, quòd dictus hæres detrahere debeat de legatis tantum, quod veniat ad quartam partem bonorum testatoris: sed de legatis ad pias causas nullatenus possit detrahi aliqua falcidia, sed ipsa legata integrè, & pleno iure persoluantur.

Quòd testamentum non desinat valore ob factam præteritionem, vel exhæredationem, aut aliquos errores interuenientes, & legitima sit salua.

ET si in aliquo testaméto esset facta præteritio, vel exhæredatio cuiuscunq; personæ, aut non essent scripta hæc verba, testibus rogatis, vel quòd Notarius fuerit rogatus scribere testamentum, tamen ipsum testamentum sit firmũ, & teneat pleno iure, salua semper legitima iure naturæ.

De

De posthumo masculo prӕterito succedente, & posthuma prӕterita succedente, vel dotanda.

ET si aliquis testator non habens aliquem filium masculum, vel descendentem masculũ fecerit testamentũ, & in ipso testamẽto prẹterierit posthumũ masculum, consulũt sapientes, ꝗ nõ obstante ipsa prӕteritione posthumus masculus habere debeat tres partes hӕreditatis dicti defuncti, & in reliquis testamentum sit validũ: Verum, si dictus testator haberet filium, vel filios masculos, quos instituerit hӕredes, posthumus, vel posthumi veniãt ad ӕqualem partẽ cũ hӕredib. institutis. Si verò posthuma nata fuerit, & testator nullos alios haberet masculos, vel fœminas descendentes, tunc posthuma, vel posthumӕ succedere debeant in tribus partib. hӕreditatis defunctӕ personӕ, sicut masculus posthumus: extantib. verò alijs masculis descendentibus ex linea paterna vno, vel pluribus tũc dotari debeat posthuma vna, vel plures per extantes masculos pro numero facultatũ, & virib. patrimonij, & hӕreditatis paternӕ, de qua agitur, & nihil aliud de dictis bonis, patrimonio, & hẹreditate consequi valeat, vel habere. Sed si habuerit fœminas tãtum, tunc posthuma vna, vel plures ad ẹqualem conditionem esse debeat aliarũ.

De modo, & forma faciendi testamentum residentis in Villa.

ITẽ cum plerunq; occurrat, ꝗ in villis nõ possunt ita haberi Not. sicut in Ciuitate, & personẹ multotiẽs decedunt intestatӕ. Cõsulunt sapiẽtes, ꝗ quicunq; de cẹtero, tãm masculus, ꝗ fẹmina habilis ad testandũ resideñs in villa dixerit ore proprio in prẹsentia triũ idoneorum testium, Ego dimitto tibi talẽ rem meam, vel tot de bonis meis, aut dixerit, Instituo talem, vel tales meos hӕredes in bonis meis, Quòd illa uerba sic dicta per eundem habeantur ita pro testamento sicuti Notarius ea scripsisset, sed ut dicta uerba obtineant firmitatem, & ne fraus aliqua committi posśit contra uoluntatem defuncti, hic modus debeat obseruari, uidelicet, Quod ille, uel illi, cui, uel quib. tali modo dimissum fuerit, uel relictum debeat infra duos menses post mortẽ testatoris, uel testatricis sibi notã, adire prẹsẽtiã Potestatis, uel Rect. & ibi exponere qualiter talis ꝺ tali uilla existẽs in extremis, reliquit sibi talẽ rẽ, uel tot de bonis suis, uel instituit eũ suũ hẹredẽ in prẹsentia taliũ testiũ, nominãdo testes qui ibi fuerint,

tunc

tunc Potestas, aut Rector audita tali requisitione notari faciat diē, quo talis comparuerit in uno quaterno ad hoc deputato, & postea mittat pro testibus nominatis, & ipsos sacramētaliter examinari faciat super negotio exposito facta prius fieri per dictum Dom. Potestatem, vel Rectorem publica proclamatione die festo solemni hora Missarum super Platea Communis Coneglani, & super Platea illius Villæ, in qua habitabat ille, cuius testamentum voluerit releuari, antequam decederet, & in Ecclesia illius Villæ, in qua decesserit, quod cum testamentum talis eum nominando velit releuari in publicam formam per verba per eum oretenus in præsentia testium dicta, si foret aliquis volens opponere, vel contradicere vllo modo, cōparere debeat usq; ad dies quindecim tūc proximè sequētes, & facta proclamatione, & elapso dicto termino in ipsa contento, si dictus Potestas repererit per eos testes ita esse, sicut comparēs exposuerit, faciat dictum ipsorum reduci in auctenticum infra sex menses ad longius, & illud habeatur pro testamento non obstante aliquo Statuto in contrarium loquente. Et si testes essent absentes, quia essent in longinquis partibus, tunc habeatur spatium complendi id, quod dictum est, infra unum annum, quo transacto non posint amplius releuari in auctentico dicta uerba. Et si infra duos menses nullus se præsentauerit Potestati (ut dictum est) post mortem testatoris, & notari non fecerit testes in curia Potestatis, nō posit amplius quis audiri, intelligendo, quòd aliquod legatum, quòd fieret hoc modo per aliquam mulierem in personam uiri sui, uel alterius eidem mulieri attinentis, & uolentis esse præsens dicto suo testamento, non ualeat, in omnibus autem alijs dictá uerba obtineant firmitatem intelligendo etiam, quòd talium uerborum dispositio, non deroget propterea testamento prius facto, vel ultimæ uoluntati.

De numero testium sufficientium in testamentis, ac codicillis.

ITem in omni autem testamēto, quod fiet de cætero in Terra Coneglani, sufficiant quinque testes masculi idonei, in his uerò, quæ fient in ruribus, sufficiāt tres masculi idonei: in codicillis autem

tem

tem factis in Terra Coneglani, sufficiant tres masculi, in ruribus verò duo.

Quod Notarius teneatur requirere testatorem quid intendit ordinare de posthumis.

ITem ut testatores non habeãt causam prætereundi posthumos sub prætextu obliuionis, consulunt sapientes, qđ quilibet Notarius teneatur requirere testatorem, si haberet posthumũ, vel posthumam unum, vel plures, quid intendat ordinare de ipsis, & quid responderit, & ordinauerit, scribere teneatur in testamento. Si autem idem testator nihil responderit, vel nihil uoluerit ordinare, tunc dictum testamentum sit firmum, & validum cum modis, & cõditionibus, de quibus superius dictũ est. Si verò dictus Notarius de hoc non requisiuerit, vel memorauerit testatorẽ, cadat de libris quinquaginta paruorum, & sit uno anno priuatus offitio Notariæ, & hoc totiens, quotiens contrafecerit, cuius pœnæ pecuniarię medietas sit Potestatis, vel Rectoris, & alia sit Communis, & si fuerit accusator, pœna diuidatur per tertiũ, & sit de credentia, & si aliquis Notarius inciderit bis in dictum fallum, tunc perpetuò sit priuatus offitio Notariæ. Et quando Notarius requisiuerit testatorẽ de posthumis, (ut dictum est) teneatur semper scribere in testamento requisitionem factam, & responsionem factam sub dicta pœna, & nihilominus, si Notarius dictam requisitionẽ non fecerit, testamentũ prædictum in omnibus suis partibus sit ualidũ. Et prædicta ad feminas testantes similiter extendantur.

De legatis ad pias causas, & hæreditate eroganda notificandis, & exequendis.

ET si aliquis fecerit testamentum, & in eo reliquerit ad pias causas libras tricentas, vel inde supra dandas, & distribuendas ad arbitrium Commissariorum, quòd tunc Notarius, qui scripserit tale testamentum, teneatur, & debeat infra octo dies post mortem testatoris ire ad Potestatẽ, & ei notificare dictam ordinationẽ, postquam Notarius sciuerit testatorem esse mortuum, de cuius scientia credatur sacramento suo, nisi contrarium doceretur, quod ante sciuisset, qui Potestas statim notari faciat in vno quaterno ad hoc deputato

putato dictam ordinationem relictorum ad pias causas, vt si Commissarij fuerint negligentes mittere dictam ordinationem executioni ipse Potestas omninò mandet eam executioni, & faciat secũdum dispositionem testatoris, quàm citius poterit saluo iusto impedimento. Et idem intelligatur, si testator instituerit hæredem, vel hæredes, & post mortem ipsorum ordinauerit, quòd medietas bonorum suorum, vel aliter vsq; ad dictam summam dari debeat pro anima sua, quòd Potestas similiter exequi facere teneatur. Et Notarius contrafaciens prædictis cadat de libris quinquaginta, & sit vno anno priuatus officio Notariæ, quæ pœna diuidatur, vt de alijs dictum est, & si cõtrafecerit à duabus uicibus supra, sit priuatus perpetuò officio Notariæ.

Quando Episcopus valeat vti sua iurisdictione super executione testamentaria.

SI verò contigerit dictum Potestatem, & Commissarios fore negligẽtes, sic quòd de iure Canonico dicta executio deberet deuolui ad Episcopum tunc dictus Episcopus ualeat uti iurisdictione sua, sicut prius de iure poterat. Et quòd Notarius teneatur notificare ipsi Episcopo, sicut tenetur dicto Potestati sub illis modis, pœnis, & conditione contentis in parte prædicta, tàm à trecentis libris supra, quàm infra.

De vltima clausula scribendo in Testamento.

ITem, ut testameuta non careant solennitatibus opportunis, consulunt sapientes, quòd Notarius teneatur scribere in fine testamenti hæc uerba, & si dictum testamentum non ualeat iure testamenti, aut non valebit, valeat, & valere debeat iure codicillorum, vel alterius cuiuslibet vltimæ voluntatis, & omne iure, & forma, quibus melius valere poterit, atque potest, sub pœna librarum decẽ paruorum, & si dicta verba non scriberentur in testamento per Notarium, intelligantur esse scripta ita, quòd isto defectu testamentum non intelligatur propterea vitiarum, immò legata, & fideicõmissa relicta in quolibet testamento, uel ultima uoluntate debeant adimpleri, & dari legatarijs integrè, sicut scriptum fuerit in testamẽto, & ultima uoluntate, per succedẽtes in testamento, uel ab intestato

Quòd aliqua personæ Ecclesiasticæ nullatenus possint exercere commissariam, vel ordinari Commissarij.

CAeterum quia contingit quandoque, quòd in testamentis, & vltimis voluntatibus ordinantur Cōmissarij, & Tutores personæ Ecclesiasticæ. Vadit pars; quòd pro omni bono respectu prohibeatur, q̄ aliquæ Ecclesiasticæ personæ, cuiuscunque conditionis existant, nullatenus possint exercere aliquam commissariam, vel ordinari commissarij, aut tutores in aliquibus testamentis. Et si secus fieret, quantū in illo non valeat, sed debeant dari tutores, aut furnitores ipsi testamento, qui tutores, & furnitores habeantur loco tutorum, & commissariorum ad adimplendum voluntatē defunctæ personæ secundum formam iuris, sicut fieret, si omnes cōmissarij deficerent morte, vel renunciassent, sed testamentū benè valeat in omnibus alijs suis partibus. Et Notarius teneatur certiorare testatorem, vel testatricem de hoc.

De ordine seruando in testamentis mulierum nuptarum conficiendis.

STatutum autem positum sub Rubrica de satisfactione dotium loquens super testamentis mulierum non conficiendis absque præsentia duorum proximiorum, vel propinquorum mulieris testari volentis, vel saltem vnius &c. obseruari debeat, sicut iacet, saluo, quòd in casu, quo nō reperirentur proximiores mulierum, vel propinqui existētes sub iurisdictione Domini Potestatis, vel Rectoris, sub qua, & vbi fieri debeat testamentum, quod tunc Potestas, vel Rector, quotiens requisitus fuerit per illos, ad quos spectauerit, teneatur mittere duos de suis officialibus, qui sibi videbuntur, qui interesse debeant ipsi testamento loco proximiorum, & propinquorum. Et testamentum contra hoc factum non ualeat, sicut loquitur statutum, ueruntamen in his, quæ mulier reliquisset ad pias causas testamentum sit ualidum, & firmum non obstante solennitate statuti ommissa, quæ legata ad pias causas solui debeant per succedentes ab intestato. Et idem seruetur, & locum habeat in mulieribus testantibus in villis, veruntamen, si mulier aliqua residens in villa faceret suum testamentum in præsentia marici ruris, & vnius, vel duorum bonorum hominum, quòd dictum testamentum in omnibus,

bus, & per omnia sit ita firmum, sicut Potestas misisset duos de suis offitialibus, & his deficientibus proximioribus, vel propinquis.

De Commissarijs, & Tutoribus, & eorum confirmatione, & administratione.

ITem cum testatores tanquã benè prouisi relinquant, & faciant in eorum testamentis commissarios, & tutores, quòd est benè actum, consulunt sapientes, quòd, secundũ, quòd testator in eius testamento, & ultima voluntate ordinauerit de cõmissarijs, & tutoribus, illud debeat obseruari. Si verò non essent dati tutores in testamento, quòd tunc commissarij ordinati in testamento habeantur pro commissarijs, & tutoribus absque alio interuallo, & facere, & exercere debeant offitium commissariæ, & tutelã simul faciendo inuentarium de bonis testatoris, vel testatricis, & alia, quæ fuerit opportuna, & sicut requirunt tutelæ, & quòd id, quòd factũ fuerit, non possit infringi, sed sit firmum, & validum.

Quòd super testamento omnes subtilitates euenientes ob aliqua verba minus debito inserta euanescant.

QVia occurrit, quòd multę fraudes, & maximæ cauillationes fiunt in ciuitate Coneglani, & alijs locis Coneglanensis per quosdam super testamẽtis defunctorum, quæ testamenta, quę sunt alicuius valoris, & pretij, & infringuntur sic taliter, q personæ credentes se mori testatas, remanent intestatæ, & nunc tantum sunt timidi omnes, quòd ipsis existẽtibus in periculo mortis testari non audent, videntes cauillationes, interpretationes, & subtilitates, quæ quotidie fiunt, & factæ sunt. Vadit pars, vt obuietur huiusmodi malitijs hominum, & vt consulatur testari volentibus, quia aliquãdo infringũtur testamenta ob aliqua verba inserta in institutionib. & aliquando ob aliqua verba inserta in substitutionibus dicẽtibus aliquib. aliqua verba esse directa, aliqua obliqua, & ob hoc vitiantur testamenta, & vltimæ voluntates defunctorum, quę oĩo repugnant mentib. ipsorũ non aduertentium ad ipsas subtilitates, q de cetero in testamẽtis faciendis oẽs tales subtilitates euanescãt, nec sint alicuius ponderis in conscientia iudicantis, sed habeantur

N 2 tanquam

tanquam vanæ, & friuolæ. Et vt plenius consulatur ex nunc sit captum, quòd nullæ aliæ subtilitates, quæ consistant in pondere, & intellectu verborum locum habeant, nisi illæ, quæ locum habeat in Ciuitate Venetiarum secundum mores, & usus dictæ Ciuitatis, non derogando propterea statuto, secũdum quæ prius & ante omnia Potestas, & Iudex informent conscientiam suam.

De conseruando testamenta à cauillationibus.

CVm iam diuina fauente clementia datus sit sufficiens ordo, & regula super testamentis non infringendis, & commendabile sit, vt quod super ipsis testamentis dictum est inuiolabiliter obseruetur, ita quòd nullus sit tãtæ præsumptionis, vel audaciæ, quòd velit aliquibus subtilitatibus, vel cauillationibus rumpere testamẽta. Vadit pars, quòd si quis de cætero præsumpserit mouere aliquam litem super aliquo testamento volendo illud rumpere cum cauillationibus, & subtilitatibus solitis, quòd Potestas mota quęstione ipsius testamenti debeat diligenter inquirere si illud tale testamentum confectum fuerit cum ordinibus superius dictis, qui si reperierit ipsum testamentum factum contra dictos ordines faciat ius cuilibet iuxta ipsos ordines. Si verò reperierit ipsum testamentum factum secundum ordines iam dictos, & cognouerit quæstionem motam fuisse calumniosè, tunc condemnet illum, vel illos, qui opposuisset huiusmodi testamento calumniosè, in expensis quandocunque factis occasione quæstionis. Quæ expensæ infra quindecim dies post latam sententiam compellendo prædictos realiter, & personaliter vsque ad integram satisfactionem dentur victori, sicut iustum est. Intelligendo, quòd nulla alia curia posit cognoscere lites testamentorum, nisi sola curia Potestatis. Et Statuta Coneglani loquentia contra dictas prouisiones habeantur pro reuocatis quantum in hoc.

Quòd

Quòd legitima intelligatur in omnibus testamentis semper salua.

AD declarationem, quia apud aliquos vertitur in dubium super illo capitulo prouisionum testamentorũ, quòd continet quando testamentum esset pro non scriptum, caducum, vel quasi caducũ, quòd sit salua semper legitima, & debita iure naturæ ascẽdentibus, desendentibus, & collateralibus, & alijs, ad quos spectat, super quo capitulo vertebatur, in dubiũ, utrum intelligatur solum in huiusmodi testamentis caducis, vel quasi caducis, aut in omnibus testamentis, declarant sapientes, quòd dicta legitima intelligatur esse salua semper in omnibus testamentis ascendentibus, descendentibus, & collateralibus, ad quos spectat, præteritis, uel exhæredatis sine causã, ut in eodem capitulo continentur.

Quòd legitima, & debita naturæ habeat locum in casibus nondum sopitis, seu terminatis per sententiam.

CVm pars super facto legitimę, & debito naturæ probata fuerit sic absolutè, uadit pars, quòd etiam quicquid dictum est de legitima, & debito naturæ, habeat locum in casibus nõdum sopitis, seu terminatis per sententiã, sicut de testamentis in proximo capitulo dictum est.

Prouisionum Ducalium Coneglani libri primi finis.

PROVISIONVM DVCALIVM TERRAE CONEGLANI

LIBER SECVNDVS.

Proœmium super Ciuilibus.



VIA iam per Dei gratiam sufficiēter prouisum est super testamentis ex nulla sui parte infringendis, nunc restat necessariò prouidere super expeditione causarum Ciuiliū in Terra Coneglani, & aliorum locorum suorum, quę ob iuris subtilitates eximias in tātū inuolucrū deducuntur, q quæstiones parui valoris aliquotiens negligūtur, cum summę, seu sortes ipsarum quęstionum non sufficiāt ad expēsas, & quęstiones magni valoris quę ventilantur homines in medio litis attędiati, & fœsi laboribus, & expensis deserere compelluntur, & cum eas prosequuntur sæpè est plus sumptus quàm sint fructus, & licet in Ducalibus Cōstitutionibus alias datus fuerit laudabilis, & expediens ordo in ipsis causis Ciuilibus, tamen ipse ordo minime obseruatur, quod redundat in damnum, & incommodū cunctorum nostrorum fidelium Coneglani, Consulunt sapientes, quod vt amputetur omnis prolixitas dirimendarum litium in Ciuilibus, hic ordo debeat obseruari, qui inferius annuēnte Deo seriosè continetur.

De petitione in scriptis porrigenda, & termino præfigendo reo ad deliberandum vtrum velit cedere, vel contendere.

PRimò, & ante omnia, quòd Constitutioni Ducali, quæ incipit, Dato superius ordine, &c. Addātur ista verba, videlicet, Quòd actor porrigat petitionem in scriptis, & sit præfixus terminus reo duo-

duorum dierum tantùm ad deliberandum utrum velit cedere, vel contendere. Et hoc habeat locum si petatur à reo super iis quæ oriuntur à suo facto proprio. Si verò super facto alieno, vt puta hæreditario, commissario, vel tutorio, aut procuratorio nomine, vel alio quocũque modo, vel nomine, quod oriatur ex facto alieno, ex quo nasci possit probabilis causa ignorantiæ, quòd tunc talis reus dilationem habeat tantummodo sex dierum.

De termino post litis contestationem dando partibus.

SI verò reus contendere voluerit dato prius sacramento de calumnia utrique partium, & eorum Aduocatis ut in dicta constitutione cauetur, præfixus terminus sit actori quinque dierum tantùm ad producendum omnia sua iura, & probatum habendum decem dierum tantùm. Si verò aliquod occurrerit iustum impedimentum ex quo actor non potuerit probare intentionem suam, uel reus exceptionẽ, tunc Potestas considerato iusto impedimento, & qualitate facti possit illis, qui fuerint iusto impedimento detentis unam aliam dilationem peremptoriam dare, & nõ ultra sub illis terminis, qui sibi uidebuntur. Et ad probandum iustum impedimentum sufficiat sacramentum petentis secundam dilationem si aduersa pars uoluerit, & contenta fuerit.

Quando, & quomodo Potestas teneatur pronuntiasse sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam.

ITem ut finis litibus imponatur Consuluit sapientes, quòd publicato processu, & data copia partib. dicti processus, seu elapso termino ad habendum copiam & dato termino ad reprobandum testes utrique parti secundum formam prouisionum, & constitutionum Ducalium, & auditis partibus, & earum allegationibus, & præsentato Domino Potestati, seu eius Vicario processu per utramque partem, seu per alterã earum, tunc Potestas teneatur infra quindecim dies utiles pronunciasse sententiam cõdemnatoriam, uel absolutoriam, & imposuisse finem toti controuersiæ, nisi iustum impedimentum occurrerit, quo tunc possit prorogari terminus aliorum quindecim

decim dierũ peremptorie, & non pluriũ. Si verò causa, siue quæstio delegata fuerit ad Consiliũ Sapientis, quòd tunc Potestas teneatur diffinisse dictam causam, siuè quæstionem vsque ad octo dies cõnumerandos à die quo venerit Consilium, sub pœna librarum cẽtum in eis proprijs bonis. Verũ, si inciderit aliqua falsitas in dicta lite, tunc dictus Potestas teneatur, & debeat causam falsitatis primò, & ante omnia decidere, & sententialiter determinare, qua cognita, & decisa tunc Potestas teneatur, & debeat super principali quæstione pronuntiasse secundum terminos, & ordines datos superius: Insuper teneatur Potestas seu Iudices pronuntiasse simul cum principali causa, taxando expensas secundũ Deum, & Iustitiam, & secundum quod sibi videbitur fore iustum.

Quomodo, & qualiter debeat dari copia processus, & actitorum, & intelligi dies utiles.

ITem cõsulunt sapientes, quòd publicato processu Potestas, seu Iudex ad requisitionem vtriusq; partis teneatur dare copiã processus, & eorum quæ actitata fuerint coram ipso, præfigendo terminũ quindecim dierum illi parti, quæ petierit copiam processus, & aliarum scripturarum, & longior terminus nequeat dari quãtum ad habendum copiam processus, & scripturarũ iam dictarum. Intelligendo quòd ante publicationẽ processus reus nullam copiam habeat scripturarum causæ, nisi solam copiam petitionis contra eum porrectæ, si eam voluerit, & istud solum habeat locum in his, quæ oriuntur ex facto proprio, quum in factis proprijs nõ sit necessaria copia scripturarũ. Et idem obseruetur in actore, qui similiter nullam habeat copiam scripturarũ rei in facto proprio. Declarant sapientes, quòd dies, de quibus in sexto, septimo, octauo, nono capitulis, & in omnibus alijs capitulis, de quibus mentio fit intelligantur dies vtiles, scilicet in quibus non sint feriæ, vel quando Potestas sedet ad bancum.

De modificatione Statuti loquentis de compromisso fiendo inter propinquos.

ITem statutũ loquens de compromissis faciẽdis inter affines &c. ubi dicit, quòd si altera pars recusauerit stare compromisso, cadat in pœna librarum centum, modificetur in tantũ, quòd si lis fuerit inter patrẽ, & filium, fratres, germanos, consanguineos, vel nepotes, filios fratrum utriusque sexus, Potestas debeat eos compellere sub pœnis, quæ sibi uidebuntur ad dictum compromissum faciendum ita, & taliter, quòd compromissũ effectualiter fiat, cœteris verò propinquis in statutũ vendicet sibi locum non obstante aliqua constitutione, vel parte loquente cõtra hoc, quæ prohiberet, quòd Potestas nõ possit esse tertius arbiter, & huiusmodi quæstionibus compromissarijs, & in quolibet dictorum casuum Potestas possit esse arbiter secundum formam dicti statuti.

De copia libelli testificationum, & aliarum scripturarum danda.

CVm iam prouisum, & captũ sit pro debita expeditione litiũ, quòd datio libelli fieri non debeat in quæstionibus à libris cẽtũ infra: Vadit pars, quòd in alijs litibus scilicet à libris centũ supra, in quibus potest offerri libellus, possit peti, & dari copia libelli partibus, & similiter copia testificationum, & aliarum scripturarum quæstionis. Verùm non possit, nec debeat dari copia responsionis, & scripturarum, quę fient contra libellũ, & primas scripturas prædictæ quęstionis, & alias, quæuis sint, Potestas, & Vicarius eius benè possit ex officio suo ad declarationem eorum accipere testificationes, & alias scripturas, sicut sibi videbitur.

Quòd cum processu causæ quæ mittitur terminanda Consilio Sapientis mittatur constitutio per formam, cuius factus fuerit processus.

ITem consulunt sapientes, quòd quotiescunque aliqua causa mittitur termnanda ad Consilium sapientis, quòd Potestas Coneglani simul cum processu causæ, & alij nostri Rectores Coneglani teneantur mittere illam constitutionem per formã cuius factus fuerit processus, ut isto defectu iura personarum non pereant.

Quòd

Quòd Sindici Communis teneatur videre si Potestas pronuntiauerit in terminis debitis, & de ordine seruando in prædictis.

ITem, quòd Sindici, qui mittuntur omni anno, teneantur videre, si Potestas pronunciauerit sententias, & alios actus ciuiles in terminis superius expressis. Et vt prædicta plenius scire possint, ex nunc committatur Notarijs, qui stant ad bancum, quòd teneantur scribere in vno quaterno ad hoc deputato diem, in quo cœpta fuerit quæstio quælibet coram Potestate, vt ipsi Syndici faciliter possint informari, & vt detur occasio Syndicis prædictis ad inuestigandum prædicta habere debeant medietatem pœnæ, in quam incurrerit Potestas, & Iudices. Et si dicti Syndici expedire non possint prædicta infra illos octo dies, quos habent, tunc possint stare alijs octo diebus, sicut fuerit expediens, habendo expensas, vt habent.

Quòd generaliter omnes Rectores teneantur ad omnes strictuas, ad quas teneatur Potestas.

ET ad omnes stricturas seruandas teneantur omnes alij nostri Rectores sub pœnis superius specificatis, & quia ad alia loca non vadunt Syndici, committantur dictæ pœnæ inquirendæ Aduocatoribus Communis, quarum tertium sit accusatoris, tertium Aduocatoris, & reliquum sit Communis, & si non fuerit accusator, habeant medietatem, sicut de Syndicis superius dictum est.

Quòd personaliter citatus, & contumaciter sententiatus nequeat appellari.

QVia in Ducalibus Constitutionibus cauetur de modo procedendi contra citatos, & absentes, et nihil decisum sit determinatè, an dicti absentes possint appellare, an non. Vadit pars, & declaretur, quòd si quis citatus personaliter coram Potestate, vel eius Iudice comparere contempserit, & non obstante contumacia sua Potestas, seu Iudex processerit ad sententiam contra eũ, dictus contumax à dicta sententia nullatenus valeat appellare, & ipsa sententia nullo appellationis remedio valeat annullari. Si verò

citatus

citatus fuerit non personaliter, sed per stridorem, vel ad domum, tunc talis condemnatus contumaciter ualeat appellare.

Quòd à sententia super possessorio, & qualibet alia lite valeat appellari.

ITem consulunt sapientes, quòd Constitutioni Ducali, quæ incipit ab omnibus verò sententijs, &c. addatur, quòd etiam à sententia lata super possessorio valeat appellari, & super qualibet alia lite.

Quòd post nullitates sententiarum sit in arbitrio Potestatis ad petitionem partium audiendi, & possendi recipere, & examinare probationes, & scripturas.

CVm nullitates sententiarum, quæ fiunt ob placitare auditorũ dicant in fine reuertẽtibus partib. ad cõditionem, & in illum statũ, in quo erant ante latam sententiam, & ob hoc Rectores non possint audire partes, postea quã processus est apertus. Vadit pars, ꝙ deinceps illæ nullitates sententiarũ debeant continere, & si non continerent, quòd intelligantur continere, ꝙ Potestas teneatur audire partes, sicut quæstio non fuisset incœpta, vt quilibet habeat directum suum, capitulum prædictum reuocari, & vadit pars, quòd deinceps dictæ nullitates sententiarum continere debeant, & si nõ continerent, intelligantur continere, sicut primò dicebant, videlicet remanentibus partibus in eo statu, & esse in quo erant, antequã sententia lata foret, remanente arbitrio, & libertate Potestati, seu rectori audiendi partem de nouo, & possendi, si eis videbitur ad petitionem partium, & vtriusque earum, & etiam ad declarationem sui ipsius, vltra, id quod in processu, à quo sententia secuta erit, contineretur, recipere, & examinare alias probationes, & scripturas, & etiam illas easdem super interrogationibus de rebus, de quibus in primo processu examinatæ non fuissent.

De reformatione correctiua appellandi à sententijs latis per Potestatem Coneglani, videlicet, quomodo, & quando.

CVm in Ducalibus constitutionibus inter alia caueatur, quòd quicunque reputans se grauatum ab aliqua sententia lata per Do-

Dominum Poteſtatẽ Coneglani, vel alios Rectores debeat appellare ad auditores ſentẽtiarum, & interponere ſuam appellationem infra decem dies à die latæ ſententiæ, & iſtud non ſit utile, immò damnoſum, quia aliquando contingit, & quòd ille, vel illi contra quem, vel quos feruntur ſententiæ, timentes ne diſpliceant Rectoribus, aut Vicarijs, qui tulerunt dictas ſententias, non audent appellare, & proſequi ius ſuũ. Et hoc accidit, vel quia habeant alias quæſtiones corã ipſis Rectoribus, vel Vicarijs ventilandas, vel (ut dictum eſt) timent ipſis Rectoribus diſplicere, & ipſi Rectores, vel Vicarij ob huiuſmodi appellationem non ſunt ita feruentes ad expeditionem aliarum rerum, quòd quippe verti poteſt in damnum non modicum perſonarum. Ad remouendum igitur omne dubiũ, & ad dandum cuilibet audaciam proſequendi ius ſuũ. Vadit pars, quòd de cætero in facto appellationũ hic modus debeat obſeruari, videlicet, quòd dictę conſtitutiones Ducales cõtinentes, quòd quilibet reputans ſe grauatum ab aliqua ſententia contra eũ lata teneatur appellare infra quadraginta dies, &c. reformentur, & corrigantur in tantũ, videlicet. Quòd ſicut habeatur ſpatium decem dierũ ad appellandum, ſic habeatur ſpatium vnius menſis ante complementum regiminis rectoris, qui ſententiã tulerit, appellare, & ante dictum menſem quandocunque poſt latam ſententiam, & appellationem ſuam proſequi ad auditores infra duos menſes, poſt quẽ rector, qui ſententiã tulerit, Venetias applicuerit, & ſi quis ſenties ſe grauatũ ab aliqua ſententia non appellauerit infra vnum menſem ante complemẽtum regimnis rectoris, & ante dictum tempus quomodocunque poſt ſententiam latam, & eius appellationem ad auditores non fuerit proſecutus, ut dictum eſt, appellare non ualeat ullo modo. Ab omnibus autẽ ſentẽtijs quomodocunque latis per rectores prędictos, aut eorum Vicarios in vltimo menſe ſuorũ regiminũ debeat appellari, antequam rector de regimine exeat, aliter, non, & proſequi appellationẽ ſuam, ut ſuperius proximè dictũ eſt. Verum ſi aliquo caſu fortuito, ea, quæ dicta ſunt de appellatione, obſeruari non poſſunt, tunc pars volens appellare poſſit appellare infra decem dies poſt caſum occurſum, aut ante, ſi voluerit, & appellationem proſequi, ſicut dictum eſt.

Quòd

Quòd remaneat in arbitrio Potestatis cogendi eum, in cuius fauorem lata fuerit sententia ad præstandum victo securitatem.

CAeterum cauetur in dictis Constitutionibus, quod Potestas Coneglani, & alij Rectores debeant mittere sentẽtias executioni infra vnum mensem non obstante aliqua appellatione cum conditione, quod si interponatur appellatio à sententia lata ille, vel illi, in cuius, vel quorum fauorem lata fuerit sententia, teneatur dare bonam, & sufficientem plezariam de restituendo id, quod per sententiam habuisset, si ipsa sententia reperiretur iniusta, vt in eis legitur. Ob quod manifestè colligitur, quòd si dictum punctum duraret in statu, in quo nunc est, nociuum, & damnosum esset illi parti, cõtra quam lata fuisset sentenria, ob partem supradictam appellationum, quia Potestas Coneglani, & alij Rectores sequentes dictas Constitutiones mitteret sentẽtias suas executioni infra vnum mẽsem absque aliqua plezaria pręstita, & hoc propter appellationem non interpositam, & veniente casu appellationis, vel rescisionis sentẽtiæ illa pars quæ recepisset fructus sententiæ, quia fortè esset debilis cõditionis, aut non reperiretur, aut nõ haberet vnde reddere id, quod per sententiam recepisset. Consulunt sapientes pro conseruatione iurium quoruncunque quod quotienscunque Potestas aliquã sententiam executioni mitteret, à qua nondum fuerit appellatum, & ille contra quem lata fuerit sententia comparens requisiuerit Potestatem, vt non obstante interpositione appellationum non factarũ debeat cogere illum, in fauorem cuius lata fuerit senttia ad dandũ ei plezariã de restituendo id, quod per dictam sentẽtiam habuerit, tunc remaneat in dispositione, & arbitrio Potestatis, vel Rectoris cogendi illum, in cuius fauorem nata fuerit sententia ad pręstandũ plezariam victo de restituendo totum id, quod occasione sententiæ receperit, si sententia rescinderetur. Verum si ille contra quẽ lata fuerit sententia non appellauerit ante vnum mensem, vt dictũ est ex tunc omnis plezaria præstita per victorem ipso iure nullius sit efficaciæ, vel momenti.

O Pro-

Procemium super Aduocatis.

De Aduocatis, & eorum pœnis.

CVm per ea, quæ ad nostram notitiam peruenerunt, Aduocati faciunt sibi fieri inordinatas solutiones pro labore suo aduocariæ, quia nullum super eorum solutione ordinem habent, & quòd est peius non sufficiunt eis cauillationes, exceptiones, & subtilitates, quibus utuntur in qualibet minima quæstione, sed paciscuntur interdum cum clientulis suis de quota parte litis, quòd est manifestè contra Deum, & quælibet iura mundi, & cõsumptio penitus nostrorum fidelium Coneglani, & utile, immò necessariũ sit taxare eis solutiones suæ aduocariæ, ut auferatur ab eis omnis materia delinquendi. Vadit pars, quòd quilibet Aduocatus Coneglani teneatur, & debeat sub vinculo sacramenti sibi dandi, & sub pœna priuationis per duos annos esse Aduocatum, cuiuscunque petentis, & requirentis ipsum esse Aduocatũ suum in quacunque quæstione, & causa contra quẽcunque hominẽ, & personam, nisi haberet iustam causã excusationis, quæ remaneat in arbitrio Potestatis.

De non habendo in aliqua quæstione vltra duos Aduocatos.

ITem non posit quis habere in aliqua quæstione ultra duos Aduocatos, nec consulere aliquẽ alium Aduocatũ sub pœna lib. quinque inferenda parti accipiẽti, & cõsulenti vltra duos Aduocatos, & priuationis Aduocariæ per duos annos Aduocato scienter Aduocãti, vel cõsulenti in quæstione, in qua sint duo Aduocati. Intelligendo ꝙ per hanc prouisionẽ non ꝑiudicetur alicui gratiæ factę, vel faciendæ per dominationẽ alicũi personæ. Et omnes pœnæ appositæ tàm in præcedenti parte, quàm in præsenti, & sequẽtibus habeant istam strictulã, conditionem, & ordinẽ, videlicet, ꝙ tertium sit accusatoris, per cuius accusam veritas habeatur, tertiũ sit Cõmunis, & tertium Rectoris, vbi uero pœna non essent declaratæ, habeatur pœnę esse libris vigintiquinque.

De

De patrocinijs, & pœnis Aduocatorum.

ITem statuimus, quòd nullus Aduocatus, vel alius pro eo nullo modo, vel ingenio audeat, nec possit accipere à clientulo suo, nisi soldum unum pro libra, si quæstio fuerit vsque ad summã mille lib. & in causis excedentibus summam libr mille, vel inde supra vsque ad duo millia habeat denarios sex pro lib. & ab inde supra denarios quatuòr pro libra. Quod salariũ diuidatur inter ambos aduocatos illius partis, pro qua fuerint accepti, & dictum salariũ recipiant in hunc modum, uidelicet, in principio quęstionis tertium, & in fine litis residuum. Et si quis prædictorum aduocatorum contrafęcerit prędictis, perdat totum salarium, quod habuerit, vel percipere debuerit, & tantundẽ de suo, & ultra hoc bãniatur de palatio vno anno, & si infra unum annum iuerit in palatiũ cadat pro qualibet vice de libris vigintiquinque paruorum. Quæ pœna diuidatur per tertium, scilicet, tertium habeat accusator, si inde fuerit, Potestas tertium, & Cõe reliquum, possendo Potestas procedere contra prædictos per inquisitionem, aut per præsumptionem, sicut sibi iustius videbitur. Et si dicti Aduocati, vel aliquis eorum ex causa patrocinij fecerit sibi fieri aliquam promissionem, vel obligationem per instrumentum publicum, vel priuatum, vel per quemcunque modum, colorem, vel formam, cadant ad dictas pœnas, & nihilominus talis promissio, obligatio, vel instrumentum quomodocũque factum, siue ante litem contestatam, siue post ipso facto sit cassum, & nullius roboris, & momenti, & nihilominus omne donum, & precium restituatur in duplum, & de quo dono, siue pœna fiat diuisio, sicut superius continetur.

De pœna Aduocati consulentis parti aduersæ.

ITem, quòd nullus, qui sit Aduocatus alicuius audeat, vel præsumat vllo colore, vel forma consulere parti aduersæ, nec ab ipsa recipere donum, vel præsens sub pœna dupli eius quod receperit, quæ pœna diuidatur vt supra de alijs dictum est.

Et vltra hoc banniatur perpetuò de palatio Cõmunis Conegla-ni, & omnis contractus, vel obligatio, quæ fieret sub prætextu solu-

tionis, sit nullius valoris. Et Potestas possit procedere per omnē modum, & viam, qui sibi videbitur melior pro habenda veritate, vbicũque fit mentio de Aduocatis in dictis constitutionibus intelligatur etiam de procuratoribus, ita quòd ipsi Procuratores subiaceant omnibus conditionibus pœnis, stricturis, & ordinibus, quibus subiacēt Aduocati, & q̃ dicti procuratores, & oēs Notarij, qui habuerit, & habebunt officia in Coneglano subiaceant Sindicatui, dũmodò de eo, de quo fieret quærimonia de ipsis fuisset per Potestatem Coneglani processum in aliquo contra ipsos.

Quòd Dominatio non mandet Rectoribus Coneglani quod supersedeant in quæstione vertente coram eis.

CVm plerunque Ducale Dominium scribat Potestati Conegla ni, & alijs nostris Rectoribus ad instantiam alicuius, quòd supersedere debeant in quæstionibus vertentibus coram eis, ex quo sequuntur multa inconuenientia, & interdum dilatione temporis ius deperit personarum. Vadiţ pars, quòd, vt fiat secundum Deum, & ius, ex nunc prohibeatur quòd Ducale Dominium nõ possit mãdare alicui Rectori, quòd supersedere debeant in aliqua quæstione vertente coram eis, nec dare aliquam subuentionem per petitionē, uel alio quouis modo alicui habenti agere, vel uolēti habere agere coram Rectoribus sub pœna librarum 200 pro quolibet ponente, uel consentiente partem in contrarium, quę pœna committatur exigenda Aduocatoribus Communis habētibus partem, ut de alijs sui officij. Et prædicta locum non habeant, si ambæ partes de hoc contentarentur, uel si altera pars esset aliqua Communitas. Verùm Dominatio possit suspendere dictum tempus per unum mensem, & non per plus.

Quod qui fuerit Iudex Potestatis non possit placitare super quæstione, quæ foret ventilata coram eo.

ITem prohibeatur, quòd aliquis, qui fuerit Potestatis sub debito sacramenti, & sub pœna librarum centum pro quolibet, & qualibet uice, quæ diuidatur, ut de alijs dictum est, non possit placitare, uel consulere sub aliqua quæstione, quæ foret uentilata coram eo existente Iudice, uel Vicario Potestatis.

Quòd

Quòd Vicarius, & Iudex maleficiorum debeant habitare diu, noctuque in Palatio Potestatis.

ITem cum Iudex, & Notarius maleficiorum habitent per se, & non cum Potestate ob quod sequuntur multa inconuenientia. Vadit pars, quòd pro omni bono respectu Vicarius, & Iudex maleficiorum teneantur, & debeant habitare de die, & de nocte in palatio Potestatis. Ita quod nullo modo habeant habitationem domicilium extra palatium, & Potestas teneatur ad hoc ponere mētem, & prædicta facere obseruari sub pœna librarum tricentarum in suis proprijs bonis, quæ committatur exigenda Sindicis habendo partem sicut haberet Potestas de alijs sibi commissis rebus, vel Aduocatoribus Communis, si per Sindicos non exigeretur, vt supra de alijs dictum est, & similiter intelligatur de socijs.

De eodem.

ITem non possit Iudex, vel Vicarius prædicti habere habitationem per se, vel alium, aut Massariam aliquam in Terra nostra Coneglani extra palatium, sub eadem pœna superius in parte proximè præcedenti nominata.

Vbi, & quem actum iudiciarium possint proferre Vicarij, & Iudices Potestatis.

ITem cum Vicarij, & Iudices Potestatis quandocunque proferant sententias, & alios actus Iudiciarios in suis cameris, & non ad bancum solitum, sicut eis placet, quod satis inhonestum est. Vadit pars, ꝙ de cætero dicti Iudices, & Vicarij nullo modo possint, vel debeant proferre aliquam sententiam, vel actum iudiciarium in cameris suis, vel alibi, nisi solum ad bācum solitum vbi redditur ius præsente Potestate, & si secus fieret ipso iure sententia, & quilibet actus iudiciarius sic lata absq; alia appellatione sit nullius roboris, uel momenti, & hoc sub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice exigendarum per Sindicos, vel Aduocatores Cōmunis, cui primo facta fuerit diuidenda, vt supra. In casu verò infirmitatis possint proferre vbi esset Potestas.

De eodem.

DEclarant, & corrigunt sapientes, quòd actus iudiciarij intelligantur solummodo sententię, terminationes, ac condemnationes diffinitiuæ, sed alios actus leues posit facere Vicarius cum licentia Potestatis, sicut Potestas esset ad bancum, & hoc ad bancum tantùm.

Quod reformetur Statutum de cedo bonis.

CAeterum cum sit quoddã statutum in Coneglano, per quod; cũ aliquis est debitor alicuius in pecunia, vel alijs rebus, & nõ velit soluere creditoribus suis, sedet super lapide quodã marmoreo dicens, cedo bonis, ex quo nõnulli plerunque damnum maximum patiuntur, & ob hoc datur causa, & materia rusticis, & alijs malè dispositis faciendi debita sub prætextu dicti Statuti non dubitãtes soluere, quia nequeunt carcerari. Vadit pars, quòd dictum statutũ de cedo bonis reuocetur, & annihiletur in totum ita, quòd nõ possit fieri de cætero cedo bonis Exceptis contractibus factis cum fœneratoribus, seu vsurarijs, in quibus sit licitum vnicuique facere cedo bonis, ita quod statutum de cedo bonis in illis casibus vendicet sibi locum. Verum si aliquis teneretur alicui fœneratori, & fœnerator velit, stare taxationi Potestatis, in illo casu non posit talis debitor facere cedo bonis in illa quantitate. Corrigunt sapientes, quòd de cætero posit fieri, quando volens facere cedo bonis steterit in carceribus quatuor annis, & pluribus in arbitrio Potestati, & non paucioribus.

De ferijs, & diebus festiuis, in quibus tantum post prandium debet reddi ius, & arbitrio Potestatis superinde.

ITem cum in Coneglano, & alijs locis sint tot dies feriati, in quibus non potest reddi ius alicui, quòd quasi medietas anni est feriata, & non potest reddi ius. Vadit pars, quòd istæ feriæ intelligantur esse, & sint per quindecim dies ante festum Sancti Petri, & per vnum mensem post dictum festum, sicque intelligantur feriæ esse, & sint à medio Septembris vsque ad medium Octobris, & vltra dicta

cta tempora non habeant locum, neque celebrentur, nisi dieb. festiuis solennibus illis, videlicet, qui celebrantur cōmuniter per totum mundū, sicut sunt dies festiuitatis beatæ virginis Mariæ, Apostolorum, & consimilium dierum solennium. Item dictæ feriæ intelligantur esse, & sint per duos dies ante Natiuitatem Domini, & per octo post: & similiter per quinque dies ante Pasca Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & octo post, & vltimo per duos dies post Pentecostes. Et vltra hoc seruetur consuetudo nundinarum Octobris Coneglani, & minus feriarū adhuc, si minus seruatur per Statuta Communis Coneglani, vel aliquas consuetudines. Verum quia multæ festiuitates solennes sunt in Coneglano, quas ipsi honorant in honore Coneglani, sit in arbitrio Potestatis diffalcare quartam partem feriarum contingentium per istas festiuitates iā dictas in hunc modum, videlicet, quòd in mane celebretur officium solēne in honorem Sanctorum, sed post prandium reddatur ius ordinarie ad curias, & quicquid in hoc casu, scilicet, in eligendo, seu nominando festiuitates fecerit Potestas, ita sit firmum sicut per istud Consilium factum foret.

Quòd Potestas, & alij Rectores obseruent prouisiones.

QVòd de cætero, Potestates Coneglani, debeāt, & teneantur obseruare, & obseruari facere inuiolabiliter oēs dictas prouisiones captas, & capiendas, ac omnes, & singulas cōstitutiones ducales non correctas, vel reuocatas, & omnes alias prouisiones captas, de quibus non fit mentio, quod sint reuocatæ, similiterque suas commissiones, sicut iacent.

De augumento solutionum scripturarum Notariorum, & de pœna contrafacientium.

CVm alias in 1351. fuerit datus certus ordo in solutionib. quas recipere debent Notarij Coneglani de scripturis tàm ciuilib. quàm criminalibus, & dictus ordo nequaquam obseruetur per ipsos Notarios, qui accipiunt in duplo quandoque plus eo, quòd taxatum est; asserentes se excusando, quòd quia expensæ vndique multiplicauerunt à dicto tēpore citra ipsos ordines obseruare nequeūt.

Et vtilissimum sit tàm pro dando causam ipsis Notarijs faciēdi id, quod debent, quàm pro bono, & commodo personarum super his salubriter prouidere. Vadit pars, quòd de cætero Notarij Coneglani, de omnib. scripturis tàm ciuilibus, quàm criminalibus, quas ipsi facient, excepto quàm de sententijs, possint accipere medietatem plus eo, quod in dicto ordine taxatum est. Sententiæ autem cuiuscunque qualitatis, vel summæ, cum non sit super eis determinata solutio facta pro eis Notarijs, taxentur per Potestatem, prout videbitur esse iustum inspecta qualitate negotij, quæstionis, summa, & labore cuiuscunque sententiæ, nec vltra præmissas taxationes possint accipere in pena librarum quinquaginta, & priuationis vno anno artis Notariæ, diuidenda vt supra.

Quomodo, & quando ad parentum bona admittantur filij, vel nepotes instituti hæredes, & nominati in testamento absentes tempore mortis parentum, & quando censeantur mortui.

CVm multotiens occurrat, quòd aliqui iuuenes de Coneglano moti iuuentute, & tanquam deuiati contra voluntatem parētum vadunt aliqui ad stipendium, aliqui vagabundi per mundum, & aliquando aliqui reuertuntur, & aliqui decedunt in remotis partibus: & aliquando ignoratur de vita, vel morte ipsorum, sed tamē parentes moti pietate dictos suos filios, vel filium, aut nepotes, vel nepotem in suis testamentis, & vltimis voluntatibus sibi hæredes instituunt in omnibus suis bonis, & decedentibus huiusmodi parētibus bona sua per aliquos occupantur in damnum, & præiuditium pupillorum, & aliarum personarum proximorū testatoribus, & hæredibus institutis, quia nesciunt petere, vel acquirere dicta bona, & sic remanent priuati suis iuribus, & multi, qui nullum ius habēt, tenent, & possident dicta bona, quod est contra Deum, & iustitiā, &c. Vadit pars, & sic cōsulunt sapientes, Quòd si quis fecerit testamentum, & in illo instituerit sibi hæredem, vel hæredes filium, vel filios, aut nepotem, vel nepotes, qui tempore mortis parentū fuissent absentes ex causis supradictis, quos pater nominauerit in testamento, quòd quandocunque huiusmodi hæredes, aut hæres veni-

ret in Terra Coneglani mortuo patre, statim sine controuersia, vel querela admittantur ad bona parentum mobilia, & immobilia. Intelligendo illos esse, & haberi debere pro filijs, & nepotibus, vel hęredibus, quos testator in suo testamento nominandos duxerit sine alia probatione, dummodò istud testamentum sit scriptum per Notarium bonæ famæ, & recomendatum ad curiam Potestatis. Si verò mortui, vel mortuus esset huiusmodi institutus, vel instituti, & dubium esset de morte, vel vita, & transiuissent triginta anni, habeantur pro mortuis, ita quòd eorum bona dentur proximiorib. venientibus ab intestato nulla præscriptione obstante. Ita tamen quòd tales proximiores dent bonam plezariam de restituendo dicta bona, si quo tempore tales instituti redirent ad Terram Coneglani, vel eorum hæredes, quod etiam ad præterita referatur.

Explicit liber secundus.

PROVISIONVM DVCALIVM TERRAE CONEGLANI

LIBER TERTIVS.

Super Criminalibus.

De reformatione Statuti loquentis de homicidijs.

ITEM consulunt, quòd Statutum loquens de homicidijs in tantum reformetur, videlicet, quòd si plures interfuerint homicidio alicuius, quilibet, qui ferierit puniri debeat tanquam homicida, & si plures fuerint, qui homicidio, vel cuicunque alio sceleri dederint consilium, auxilium, & fauorem puniantur tanquam committentes, & facientes dicta scelera, & hoc dicunt declarando Statutum de homicidio, & informãdo se secundum Statutum de auxilio, & fauore præstitis malefactoribus. In cæteris autem dictum Statutum vendicet sibi locum, sicut iacet.

De correctione Statuti positi sub Rubrica de pœnis assassinorum, & facientium assassinari.

Statutum autem de pœnis assasinorum, & facientium assasinari, vbi dicit, Si verò ex assasino non moriatur percussus, sed mẽbrum amittat, tunc debeat qui asasinatum perpetrauerit, & committi fecerit condemnari in mille libris paruorum &c. Corrigatur in hoc, videlicet, quòd si ex dicto assasinio solummodo quis percusserit cum effusione sanguinis, tunc faciens fieri assasinium capite puniatur. Si verò dictus assasinus ad actum peruenerit, & non percusserit eum, vel percusserit, sed non cum sanguinis effusione, tunc remaneat in arbitrio Potestatis, vel Rectoris puniendi facientem fieri assasiniũ realiter, & personaliter, sicut sibi videbitur, considerata.

siderata qualitate personarum, & conditione facti: in casu verò quo assasinaria foret ordinata, sed nõ consequeretur effectũ, quòd tunc remaneat arbitrio Potestatis puniendi illum, vel illos qui dictam assinariam ordinauerint, vel qui eam voluerit perpetrare.

De modificatione, & correctione Statuti sub Rubrica de pœnis assasinorum.

CVm in tertio tractatu tertij libri Statutorum Communis capitulo decimonono sub Rubrica de pœnis assasinorum aliàs correcto, inter cætera contineatur, quòd si quis esset famulus alicuius, assasinus intelligatur si fuerit sine domino suo, & sine eo percusserit quempiam, non autem si predicta fecerit præsente domino, cum quo staret, &c. ex quibus verbis dominus, etiã ignorans, & non culpabilis veniret puniendus, quòd est iniquũ. Vadit pars quòd dictum statum modificetur, & corrigatur, & addatur correctioni aliàs factæ super dicto statuto hæc uerba, ꝙ in eo puncto, vel casu, in quo de famulo alicuius percutiente quẽquam sine domino statutum facit mentionẽ, dominus non puniatur de assasinio tanquam faciens assasiniũ committi, nisi de eius mandato, vel prece, siue pretio famulus eius prædicta commiserit.

De maleficiis per Notarios scribendis in quaterno Potestatis, & de processibus examinandis per Potestatem.

ET vt maleficia, quæ quotidie committuntur, non remaneant impunita. Vadit pars, quòd sicut notarij maleficiorum scribunt super uno quaterno Iudicis maleficiorũ, quẽ tenet ipse iudex, quæcunque maleficia facta tàm in ciuitate, quã in villis, ita de cætero teneantur, & debeant sub pœna librarũ vigintiquinq; paruorum pro quolibet, & qualibet vice super uno alio quaterno, quem tenere debeat Potestas, scribere dicta maleficia sub breuitate infra tertiam diem, post quàm notarius habuit accusã, vel inquisitionẽ, ita, quòd quicunque Potestas cum iudice maleficiorum examinabit processus maleficiorũ, habeat illos duos quaternos ante se scilicet suum, & illum iudicis. Et videat, & examinet, ipse Potestas, quis

quis processus fuerit expeditus, & quis non, & illos processus, quos expedierit, debeat cancellare super suo quaterno, & iudex faciat super suo idem, vt semper Potestas scire posit, quando processus potuerint expediri, & qui processus fuerint expediti. Et teneatur Potestas in fine sui regiminis præsentare dictum suum quaternum successori suo, quando intrabit Regimen, & ostendere sibi processus non expeditos. Et si fuerit Notarius accusatus contrafecisse prędictis, cadat de libris centum paruorum, de quibus habeat accusator tertium, si per eius accusam veritas habebitur. Potestas tertium, & commune reliquum. Et quòd Iudex, qui fuerit in dicto officio, si contrafecerit, non posit in perpetuum esse Iudex, vel officialis in Coneglano, vel districtu.

Quod in criminalibus Potestas, & Judex maleficiorum debeant procedere ex puro, & libero suo officio.

CVm secundum formam Ducalium Cõstitutionum habeatur quòd Potestas in criminalibus procedere debeat secundum Statuta Coneglani, & ex forma suæ cõmisionis detur sibi magnũ, & amplum arbitrium in dictis criminalibus. Vadit pars, quòd dictæ Constitutiones, & dicta commisio Potestatis declarentur in tantum, videlicet, Quòd in causis criminalib. Potestas debeat procedere ex puro, & libero officio suo non audiendo Aduocatos in talibus causis, vt euitẽtur cauillationes aduocatorum, & illud idem obseruet iudex maleficiorum, obseruando tamen Prouisiones Ducales, & deficientibus Prouisionibus Statuta Coneglani in criminalibus causis, dũmodo in causis dictorum casuum Aduocati, vt dictum est, non audiantur, qui nullatenus in dictis causis posint aduocare, vel allegare.

Quòd Notarij maleficiorum non posint portare scripturas criminales ad domum, vel alio. & de pęna contrafacientium.

CVm Notarij maleficiorum interdum portẽt secum ad domũ, quando eis placet, scripturas criminales, quod est maxima suspitio, nam datur eis materia inhonesta quandoque committendi.

Vadit

Vadit pars, ꝙ nullo modo dicti Notarij posśint, aut debeant aliqua causa de mũdo ferre scripturas criminales ad domũ, vel aliò, sed eas dimittant ubi stare debeãt, & omni sero debeãt huiuiſmodi scripturæ poni, & locari in quadã capsa, quæ est in Palatio, & quæ deputata fuit pro simili causa, quæ capsa habeat tres claues, quarum unam teneat Potestas, aliam Iudex maleficiorũ, & aliã teneat Notarius; & Not. cõtrafacientes prędictis priuentur ꝑpetuò officio Notariæ.

Quòd Capitaneus Coneglani in Criminalibus teneatur procedere eadem regula, & ordine quibus procedit Potestas Coneglani.

ITem cum habeatur, ꝙ Potestas Coneglani procedat in criminalibus certo ordine, & Capitaneus dictæ Terræ in eisdem criminalibus procedat alio diuerso ordine, & sic in vno, & eodem crimine idem Capitaneus diuersas pœnas infert delinquentibus, quã faciat Potestas, ita ꝙ res isto modo nequaquam ęqualitaté respiciunt. Vadit pars, ꝙ de cętero committatur Capitaneis nostris Coneglani præsentibus, & futuris, & addatur in suis cõmisśionib. ꝙ sub debito sacramenti teneãtur procedere in criminalibus in quolibet delicto eadem regula, & ordine, quibus procedit Potestas dictæ Terræ.

De Sindicatoribus Communis, & eorum officio.

QVòd Sindici Cõis, qui mittuntur Coneglanũ, in complemento regiminis futurorũ Potestatum, sicut stãt octo dieb. ad minus, sic stare debeant xv. dieb. ad minus, & tãtò plus, quãtò fuerit necessariũ. Ita tamé, ꝙ Vicarius, Iudex, vel Iudices Potestatis, & familia eius non teneãtur stare ad syndicatũ, nisi octo diebus, sicut ante stabãt. Possendo, & debẽdo examinare oẽs, & singulas prouisiones, & oĩa alia, quæ processerint tàm per Iudices, q̃ ꝑ Notarios, curię Potestatis, vel alios Iudices, Aduocatos, & Not. Coneglani. Et in omni eo, ꝙ reperierint prędictos, vel aliqué prædictorũ fefellisse, vel fraudasse non existentib. ipsis, vel eorũ aliquo absolutis à Potestate debeant cõtra eos procedere per modũ, & viã suprascriptã, dando eis aliã pœnã, vel pęnas, quæ in istis Cõstitutionib. continetur habẽdo illam portionem pęnarum, quam habere debuisset Potestas, si illas fecisset. Et si reperirẽt in hoc Potestatem culpabilem, debeãt facere inquisitioné contra eum, & in redditu suo Venetias illam presen-

P tent

tent Dominio, & postea dominatio mittat eam Aduocatoribus cōmunis, qui faciant suum officium. Et sicut ipsi Syndici possunt expendere ducatos quadraginta in monetis, ita possint expēdere quadraginta de plus pro rata, sicut steterint. Et habeant libertatem examinandi tàm istas cōstitutiones, quàm omnes alias res, & super his habeant libertatem prouidere de addendo, corrigendo, vel mutando, si eis videbitur, & ponere suum consilium in scriptis. Et infra duos menses, postquā applicuerint Venetias, debeant ponere eorū prouisiones in consilio rogatorū, ita, quòd accipiant finem sub debito sacramenti. Et consiliarij teneantur eis dare consiliū ad suam requisitionem, quotiens requisierint, sub pœna librarū vigintiquinque pro quolibet, nec possit eis elongari terminus sub dicta pœna, & vocetur omni vice consilium rogatorum sub pœna librarum triū paruorum, quam exigant Aduocatores communis, cuius tertiū sit ipsorum Aduocatorum, tertium cōis, & tertium scribæ, & famulorū pro suo labore. Et predicta seruentur in singulis annis successiuè in fine regiminis cuiuslibet Potestatis.

De modo, & forma equitandi extra Ciuitatem Coneglani pro maleficijs.

ITē prohibeatur, quòd Iudex maleficij Ciuitatis Coneglani, qui solitus est pro omni rumore minimo facto in ruribus equitare ad dicta rura cum maximis expensis pauperū hominum villarum, non debeat de cętero equitare extra Ciuitatē Coneglani, nisi pro nōtabili delicto cōmisso in ipsis Villis, quod consistat in cognitione Potestatis, sed vadat Notarius cū vno præcone, prout est ordo datus aliàs. Et si ordo non esset datus, Potestas possit dare ordinem, prout iustum sibi videbitur, & si esset, sed esset vltra mensuram, possit corrigere, & sit firmum sic, si factum esset per istud cōsilium, & habeat id, quod taxatum est. Verum si occurrerit, q̄ pro aliquo enormi maleficio cōmisso in rure Iudex equitaret, tunc habeat in die pro expēsis oris, & equi sold. 40. à commune ruris; & Notarius, & præco habeant prout taxatum est, & quilibet barosarius equitās ad prædicta, pro quolibet habeat in die sold. xx. pro omnib. suis expensis. Intelligēdo, q̄ dictus Iudex non possit ducere secum nisi vnū Not. vnum

præconem,

præconem, & duos baroarios. Et quòd homines villarum non teneantur ad alias expensas ullo modo, nec debeant facere, nec ipse Iudex accipere, nec aliquis eorum in pœna librarum viginti quinque paruorum, quas expensas ille, qui fecerit delictũ, soluere teneatur illi communi illius uillæ, quæ fecerit expensas prædictas, ultra pœnam communis, & posſit constringi realiter, & personaliter. Et si Iudex contrafecerit in prædictis, cadat de libris centum paruorum pro qualibet uice, & sit priuatus omnibus officijs, & beneficijs Coneglani. Et hæc commiſſa ſint Poteſtatibus Coneglani, & Syndicis, qui illuc uadunt, & Aduocatis Communis hic in Venetijs habentibus partem pœnarum, ut ſupra de alijs dictum eſt. Et nõ posſint ſtare extra Ciuitatem ultra duos dies, uel tres ad plus computando unum diem in alium, ſi receſſerit in nonis, uel ſi uenerit, per ratam temporis. Et prædicta omnia cridentur in Coneglano, & alijs locis ſemel in anno, & addantur in commiſsionibus omnium Rectorum, ut prædicta obſeruent, & faciant obſeruari ſub pœnis contentis in eis.

Corrigunt ſapientes, quòd Iudex maleficiorum habeat pro omnibus expenſis, quando equitat extra pro maleficijs, libris tres in die, & baroarius, & pręco quilibet equitans ad prædicta habeat triginta ſoldos paruorum remanentibus firmis ſtricturis, & omnibus alijs contentis in omnibus aliis partibus, & earum qualibet correctis, & declaratis.

PROVISIONVM DVCALIVM TERRAE CONEGLANI

LIBER QVARTVS.

Quòd non possit vendi, alienari, vel aliter transferri aliqua domus, vel possesio, nisi cum ordinibus contentis in Ducalibus Constitutionibus cum declaratione facta superius

Super possessionibus venditis sine stridis modus obseruandus.



CVM Ducale Dominium aliàs per eius Cõstitutiones dederit ordinem sanctum, & iustum super alienationibus possessionum in Ciuitate Coneglani, & alijs locis, & ille non obseruetur, immò maximè contrafiat; nam quotidie multæ possessiones venduntur in dicta Ciuitate, & alijs locis, & exinde fiunt contractus quotidie occultè, sine stridis, non obseruando ordinem Ducalium Constitutionum, quod manifestè vertitur in præiuditium manifestum propinquorũ & lateranorum illorum, qui dictas possessiones vendunt, & pleriq; creditorum, qui ignorantes huiusmodi venditiones occultas, nequeunt comparere ad ostendendum iura sua, si qua habent in dictis possessionibus. Vadit pars, quòd ex nunc prohibeatur, quòd non possit vendi, alienari, vel aliter in alium trãsferri aliqua domus, vel possessio, nisi cum ordinibus contentis in dictis Ducalibus Constitutionibus. Et si secus fieret, ipsa venditio, alienatio, vel translatio, & omnis contractus exinde confectus anulletur, & anullatus intelligatur. Et omnino sit nullius roboris, vel momenti. Et si quis Notarius contrafecerit aliquem contractũ, vel aliquod instrumentum vẽditionis, alienationis, vel translationis alicuius possessionis, & rei immobilis extra ordinem, & formam Ducalium Constitutionum priuetur vno anno officio Notariæ, & prædicta totiens obseruentur, quotiens fuerit contrafactum, & cridentur semel in anno in Ciuitate Coneglani, & alijs locis.

De

De eodem.

DEclarant, & corrigunt sapientes, quòd domus, & possessiones posint vendi, & alienari sine stridis, sicut ante has nouas constitutiones fiebat, & in hoc casu sit saluum, & reseruatũ ius propinquis, & lateranis posse præsentare super talibus possessionibus venditis, & alienatis sine stridis vsque ad triginta annos, dum tamen postquã sciuerint de talibus possessionibus venditis, & alienatis, teneantur præsentare vsque tres menses, & vt propinqui, & laterani posint scire alienationes possessionum Notarius, qui fecerit instrumentum venditionis possessionis, vel transactionis, vel ad liuellum datæ, vel aliquo alio modo in alium translatæ teneatur infra octo dies à die stipulationis factæ fecisse notum Potestati, quòd talis alienauit talem possessionem sitam in tali loco in pœna centum librarum, & priuationis artis Notariæ per vnum annum pro quolibet contrafaciente, & Potestas teneatur scribi facere hanc notitiam super vno quaterno ad hoc specialiter deputato ad suum banchum, quem quaternum teneat vnus Notarius, cui Potestas duxerit ordinandum, quo facto Potestas teneatur facere notificari omnibus propinquis, & lateranis alienantis possessionem illam infra quindecim dies immediatè sequentes per vnum præconem, & præco teneatur scribi facere relationem in quaterno supradicto sub pœna decem librarum infra tertium diem postquam notificauerit hoc propinquis, & lateranis antedictis, vel alicui eorum, & Notarius, cui Potestas deputauerit quaternum teneatur notare relationem præconis quando præco sibi dicit in pœna librarum decem, vt nemo in iure suo fraudetur, & quando quaternus erit plenus seruetur in Cancellaria ad perpetuam memoriam, sicut seruantur aliæ scripturæ, & postea incipiatur vnus nouus, & quod dicta prouisio non habeat locum in possessionibus, vel rebus datis, vel dandis in dotem inæstimatis.

Quòd in possessione translata titulo liuelli, vel donationis propinqui habeant id ius quod haberent si esset translata venditionis nomine.

ITem cum ex forma Ducalium constitutionũ datus sit ordo de uẽditionibus faciendis, & qũo propinqui emere uolentes debeant comparere coram Domino Potestate, &c. & ad euitandũ illam legem fiunt multæ fraudes, nam multi sunt, qui liuelli titulo transferunt suas possessiones in alios sub alio uocabulo, sicut uolunt, quòd est contra intentionẽ Domnij, & in damnum illorum, qui habent ius in ipsis. Vadit pars, q̃ si sub liuelli titulo translata fuerit possessio aliqua in aliquem quòd propinquus habeat ius, quòd haberet, si dicta possessio esset translata titulo uenditionis. Et idẽ seruetur, & locum habeat, si transferatur titulo donationis cum ista conditione, quòd in hoc casu dicta possessio debeat æstimari, sicut in ducalibus constitutionibus dictum est. Verum istæ duæ partes non habeant locum in Venetis, nec intelligantur in Venetis, nec in aliquo Veneti compræhendantur.

Quòd primus gradus propinquitatis incipiat inter fratres.

SVper cõstitutionibus eisdem super alienationibus possessionũ, vbi tangitur, quòd illi de prole vendere volentis, intelligendo de prole vsque ad quartum gradum inclusiuè debeant comparere coram Domino Potestate, &cæt. declaratur in tantum, quòd primus gradus secundum dispositionem iuris canonici incipiat inter fratres, & sic successiuè, non intelligendo descendentes, qui in his melius ius habent.

De observando residuum prouisionum correctionum, & declarationum super prouisionibus factis.

ANdreas Cõtareno, Dei gratia, Dux Venetiarum, &c. Nobili, & Sapienti viro Leonardo Dandulo militi, de suo mandato Potestati Taruisij, ac Nobilibus viris successoribus suis fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Residuum prouisionũ, ac correctiones, & declarationes super ipsis prouisionibus Vobis

mitimus

mittimus præsentibus interclusas, Mandantes vobis cum nostris Consilijs minorũ rogatorum quadraginta, quatenus prædictas pro uisiones, atque correctiones, & earum quamlibet inquantũ ad vos spectat obseruare, & obseruari facere inuiolabiliter faciatis.
Data in nostro Ducali Palatio die penultimo Martij. 6. Indictione.

De Rectoribus, Coneglani non recessuris à suis Regiminibus; & de pœnis contrafacientibus.

1368. xxiij. Martij in Consilio Rogatorum capta.

VT Ius, & Iustitia impediri non possit, & securitas locorum. Vadit pars, quòd de cætero Dominatio nullo modo, vel forma possit concedere aliquibus Rectoribus Coneglani, quòd recedant à suis Regiminibus, sed semper sint in loco sui Regiminis iuxta formam suæ commissionis sub pœna librarum ducentarum pro quolibet ponente, vel cõsentiente partem in contrariũ, quæ pœna committatur exigenda Aduocatoribus Communis, habendo partem, vt de alijs suis officijs. Verùm Dominiũ cum Consilio Rogatorũ secundum consuetudinem possit concedere prędictis Rectoribus, quòd veniant Venetias in casu mortis, aut grauis infirmitatis Patris illius talis Rectoris, & fratris, & filij, vel filiæ per quinque dies tantum, & non per plus.

De taxatione solutionum, quas Notarij accipere possint de stridis, & venditis possessionum.

ITem quia similiter non seruatur ordo datus Notarijs super solutionibus, quas ipsi debent recipere, & possunt de stridis, & venditionibus possessionum, tàm venalium, quàm æstimatarum, & datarum insolutũ per incantum. Vadit pars, vt æqualitas obseruetur, consideratis expensis, quæ auctæ sunt, quòd de cętero obseruetur infrascripta forma, videlicet, quòd.

Pro forma primarum stridarum cuiuscunque maneriei possit accipere Notarius soldos quadraginta.

Et pro venditione, & data, quæ fit post ipsas stridas habeat, si possessio fuerit valoris librarum centum, vel inde infra. soldos xx.

264

Et pro forma venditionis possessionis valoris librarum cẽtum, vel inde supra vsq; ad mille habeat pro centenario soldos sexdecim.

Item pro forma venditionis possessionis valoris librarum mille vsque duomillia vltra primam solutionem habeat pro centenario grossos tres.

Et pro forma venditionis possessionis valoris duarum milliũ librarum, vel inde supra vltra primam solutionem habeant pro centenario grossos duos.

Et non aliud vllo modo sub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice, qua contrafecerit, & vltra hoc priuationis Notariæ uno anno.

Quòd Iudices, Notarij, vel socij Domini Potestatis non possint comedere cum aliquo, nisi in certis casibus, nec accipere donum, vel seruitium ab aliquo habente agere coràm eis.

ITem, quòd Iudices Potestatis Coneglani, uel Notarij, uel socij non possint comedere cũ aliquo in Terra Coneglani, nisi præsente Potestate sub pęna librarum decẽ paruorũ pro quolibet, & qualibet uice, qua contrafecerint prædictis. Nec possint etiam prædicti Iudices, uel Notarij, uel socij comedere extra Ciuitatẽ cũ personis Ciuitatis sine licentia Potestatis uerum in casu nuptiarum possint dicti Iudices, uel Notarii, uel socii comedere cum personis Ciuitatis non incurrendo aliquã pœnam. Nec possint prædicti, uel aliquis prædictorum recipere donum, uel præsens, uel seruitium ab aliquo, qui habeat agere coram ipsis modo aliquo, uel ingenio per totum terminum sui Regiminis sub pœna superius contenta, quæ diuidatur, ut supra, & in pœna restituendi duplum eius, quod aliquis accepisset, quod duplum habeat ille, qui sibi dedisset, & accusator habeat tertium.

Quòd omnes Rectores Coneglani teneantur obseruare omnia, & singula antescripta prouisa.

ITem, quòd omnes Rectores Coneglani teneãtur obseruare omnia, & singula prouisa, inquantum spectant ad sua Regimina.

De

De eodem.

ITem, quòd Poteſtas Coneglani teneatur, & debeat infra vnum menſem poſtquam habuerit has Prouiſiones mittere eas ordinatè omnibus noſtris Rectoribus Coneglani, & Poteſtates qui erunt per tempora teneantur omnes, & ſingulas Prouiſiones per ſapientes prouiſas in feſtis Natiuitatis ſingulo anno facere proclamari publicè, vt prædictæ Prouiſiones omnibus notæ ſint.

Quomodo, & quando Poteſtas poſſit cognoſcerre, & ſententiare inter forenſes, vel terrigenam, vel forenſem.

ITem conſulunt ſapientes, quòd cum ſint captæ aliquæ partes de duabus curijs, quæ cognoſcunt à libris centum infra, quæ Domino concedente, redundabunt in vtilitatem Ciuium, & habitantiũ Coneglani, ſed redundarent in damnum, & ſiniſtrum forenſium habentium agere cum terrigenis, vel è contrario. Vadit pars, quòd Poteſtas Coneglani ad requiſitionem partium poſsit cognoſcere, terminare, & diffinire, ſententiare ſine ſtrepitu & figura iudicij inter forenſem, & terrigenam, vel terrigenam, & forenſem, uel forenſem, & forenſem diebus feriatis, non obſtantibus partibus ſuprascriptis, ſicut hactenus facere conſueuerunt. Et hęc etiam habeant locum in ijs, qui datio, uel datijs tenerentur.

Quòd omnes quæſtiones nondum diffinitæ ſubiaceant ordinibus teſtamentorum, & cauſarum ciuilium factis, & fiendis.

ITem conſulunt ſapientes, quòd propter declarare omne dubium quòd poſſet emergere, & ad remouendum omnes cauillationes, quòd omnes quæſtiones, quę naſcentur, & etiam omnes aliæ ſuper quibus non foret lata ſententia diffinitiua ſubiaceant omnibus ordinibus teſtamentorum, & aliarum cauſarum ciuilium hactenus cõſtitutis, ſeu prouiſis, & prouidendis in hoc Conſilio per ſapientes Statutis, ſicut captum eſt de teſtamentis.

Quòd

Quòd Clericus non possit relinqui, vel esse Commissarius, vel administrator alicuius testamenti codicilli, & donatus.

ITem consulunt sapientes, quòd nullus Clericus cuiuscũque gradus, dignitatis, vel præeminentiæ existat, posit relinqui, vel esse commissarius, vel administrator alicuius testaméti, codicilli, vel donationis causa mortis, aut alicuius alterius vltimæ voluntatis modo aliquo, vel ingenio. Et si relinqueretur, vel esset aliquo iure, in illo casu non valeat, neque teneat, nec esse posit, sed Potestas, vel Rector loci illius, vbi mortuus esset ille testator, qui in testamento aliquem clericum commissarium reliquisset, constituere debeat furnitores ipsi testamento, vel vltimæ voluntati, prout sibi iustum videbitur, & expediens.

Quòd non possit poni de faciendo gratiam, vel subuentionem contra partes testamentorum sub pœna librarum centum.

CVm pro salute, & bono nostrorum fideliũ Coneglani captæ fuerint in isto Consilio aliquæ partes super reformatione Statutorum Coneglani, & super reformatione modorum conficiendi vltimas voluntates, quæ sunt secundum Deum, & iustitiam, & omnes æquitatem, & non sit bonum, vt dictę partes per obliquum, vel alium modum infringatur. Vadit pars, quòd non posit poni de faciendo aliquam gratiam, vel subuentionem alicui contra dictas partes testamentorum, vel aliquam prædictarum sub pœna librarum centum pro quolibet consiliario, capite, sapiente, vel alio ponente, vel consentiente partem in contrarium.

De faciente alium citari, & non comparente.

ET si aliquis in causa huiusmodi, tàm à libris decẽ, & inde infra, quàm à libris quinquaginta, & inde infra, alium citari fecerit, & talis, qui alium citari fecerit, non venerit, seu comparuerit ad terminum stabilitum, vel venerit, sed nihil petere voluerit, condemnetur in soldis viginti paruorum, qui veniant in commune non comparente citato, sed si citatus comparuerit, & actor non venerit, vel

(vt

(vt dictum est) venerit, sed nihil petere voluerit, condemnetur ad instantiam rei in soldis viginti paruorum, qui veniant in commune, & in expensis factis per citatum occasione citationis præfatæ.

Modus generalis per Potestatem cognoscendi, & diffiniendi in causis, & quæstionibus Ciuilibus excedentibus summam librarum quinquaginta paruorum.

QVoniam diuina fauente clementia super processibus, & decisionibus causarum ciuilium nõ excedentium quantitatem librarũ quinquaginta paruorum vtiliter in præcedentibus capitulis est prouisum, restat nũc super processibus, & decisionib. causarum Ciuilium excedentium dictam summã salubriter prouidere. Et captum est igitur, quòd omnes, & singulæ quæstiones, quærimoniæ, & causæ ciuiles à libris quinquaginta paruorũ supra audiri debeant, & cognosci per Potestatem, & eius curiam procedendo, terminando, & diffiniendo in ipsis secundum ordines, & statuta Communis Coneglani, si statuta fuerint loquentia de contingentibus, vel similibus, cum de simili ad simile procedatur, & vbi Statuta, & similitudines defecerint, secundum bonas consuetudines, quibus etiam deficientibus secundum bonam, & rectam eius conscientiã, ita, quòd ipsemet Potestas teneatur, & debeat proferre sententiam in causis, & quæstionibus antedictis.

De citandis ad curiam Potestatis, & personaliter citatis contumacibus condemnandis.

IN facto autem citationum in causis, & quæstionibus huiusmodi hic modus debeat obseruari, videlicet, quòd si quis aliquem citari facere voluerit ad rationem faciendam, debeat ipsum personaliter citari facere per nuntium, seu præconem communis, & si citatus personaliter nõ venerit ad terminum sibi datum, cadat de soldis viginti paruorum, qui veniant in commune, & reficiat expẽsas actori, & nihilominus non procedatur ad sententiam contra eum, sed iterato, & secundò citetur. Et si secundò personaliter citatus venire contempserit, Potestas, si sibi de causa liquebit per instrumentum aliquod publicum, vel priuatum, aut per testes, vel per testem, aut per euidentiam rei, aut per præsumptionem, aut si factũ fuerit manifestum,

nifestum, considerata negotiorum, & personarum qualitate, procedere posit, & procedat ad diffinitiuam sententiam in eo, quod sibi videbitur fore iustum. Et si quis citatus primò personaliter venire contempserit, cadat de soldis viginti paruorum, qui veniant in cōmune, & reficiat expensas actori, & nihilominus iteratò, & secūdò citetur. Sed si personaliter secūdò nequiuerit reperiri, citetur ad domum, & stridetur in Platea loci, vbi habitauerit, nulla requisitione facta, & si non comparuerit ad terminū citationis, vel stridationis, Potestas, si sibi causa liquebit per aliquod instrumētum publicum, vel priuatum, aut per testem, vel testes, aut per euidentiam rei, aut per præsumptionem, aut si factū erit manifestum, procedat ad sententiam, vt superius est expressum: intelligendo tamen, quod nullo casu Potestas posit ad sententiam procedere, nisi ille, qui citandus fuerit, si fuerit in contrata, saltem semel citatus non extiterit in persona.

De Ciuibus habitantibus, & districtualibus Coneglani absentibus à Ciuitate Coneglani, & districtu citandis per literas Potestatis.

SI quis autem citari facere voluerit aliquem ciuem, habitatorē, vel districtualem Coneglani, & talis citandus non fuerit in Ciuitate Coneglani, vel districtu, debeat ille, qui eum citari facere voluerit, accedere ad Potestatē, & narrata petitione sua, Potestas debeat talem existentem extra Ciuitatem, & districtum Coneglani, citari facerę per litteras ipsius Domini Potestatis sigillatas sigillo Sancti Marci, dando, & asignando ei terminum, qui sibi habita cōsideratione negocij, personæ, & loci videbitur expedire. Quæ literæ præsentari debeant per nuntium, seu præconem cōmunis Coneglani, in quibus contineatur, quomodo dicta citatio sit ei pro primo, & secundo præcepto narrando summariè petitionem illius, ad cuius instantiam citatus fuerit. Et si talis citatus per huiusmodi literas venire contempserit ad terminum sibi datum constante de pręsentatione literarum, quę per nuntium, seu præconem cōmunis fieri debeat in præsentia aliquorum, & de pręsentatione fide facta per aliquam scripturam publicam, vel priuatam, aut per literas Recto-

ris illius

ci illius, vel per alium quemuis decentẽ modum, Poteſtas, ſi ſibi liquebit de cauſis per aliquod inſtrumentum publicum, vel priuatũ, aut per teſtem, vel teſtes, aut per euidentiã rei, aut per pręſumptionem, aut ſi factum fuerit manifeſtum, procedat ad ſentẽtiam, vt ſuperius eſt expreſſum, ſecundum quod ſibi videbitur fore iuſtum.

De pœna facientis aliquem citari.

ET ſi quis in aliquo caſuum prędictorum citari fecerit aliquem, & ille, qui citari fecerit, non comparuerit ad terminum ordinatum, cadat de ſoldis viginti paruorum, qui veniant in cõmune non comparente citato, niſi fortè concordes extiterint, ſed ſi comparuerit citatus, & actor non cõparuerit, condemnetur ad inſtãtiam rei in ſol. xx. par. & reficiat ei expenſas factas occaſione citationis p̄dictę.

De citationibus curiarum palatij ordinatè ſcribendis, & proclamandis.

PRæterea generaliter ordinetur, ꝙ quilibet, qui præcipi, vel citari fecerit aliquem tàm coram curia Poteſtatis, quàm coram curia aliorum officialiũ, ſeu Iudicum ciuitatis Coneglani, teneatur, & debeat illud præceptũ ordinatè ſcribi facere apud acta, niſi fuerint in concordia cum reo, ſub pœna ſold. xx par. pro quolibet cõntrafaciente, & qualibet vice. Et ſcripto præcepto, vel præceptis in hora conſueta Poteſtas, Officiales, ſeu Iudices, coràm quibus fuerit, teneantur ipſos per ordinem facere proclamare, ita, ꝙ qui primus fuerit, primò clametur, qui ſecundus, ſecundò, & ſic per ordinem. Et idem obſeruetur in proclamationibus terminorum.

Modus generalis curiarum Coneglani in procedendo, & ſententiando in cauſis in quæſtionibus vtraque pars comparuerit.

DAto ſuperius ordine de modo, & via ſententiandi, & procedẽdi in abſentia partium, vel earum alterius, nunc videatur de modo, & via procedendi in præſentia earũdem. Comparente itaq; vtraque parte in omnibus, & ſingulis caſib. ſupradictis, tàm in cauſis, & quæſtionibus à libris decem, & inde infra, quàm à libris quinquaginta vſq; decem, & etiam à libris quinquaginta ſupra debeat Poteſtas, ſeu Iudices, & officiales coràm quibus quæſtio mota erit procedere ſine oblatione libelli, & litis conteſtatione, ſed audita re

quiſitione actoris, & in ſcriptis redacta Poteſtas, ſeu alij officiales, & Iudices cognoſcentes de cauſa ſtatuant aliquem terminum reo, vt eorum diſcretioni videbitur ad deliberandum, & reſpõdendum an velit agere, cedere, vel cõtendere ad ea, quæ actor ſimpliciter duxerit requirenda, & poſtmodum dato ſacramẽto vtrique partium, & earum Aduocatis de calumnia, & veritate dicenda vna ſola dilatio ſtatuatur vtrique parti ad probandum per teſtes, vel inſtrumẽta publica, vel priuata, vel aliquam aliam veriſimilem probationẽ, quæ Poteſtati, ſeu Iudicibus, habita conſideratione cauſæ, & perſonarum, competens eſſe videatur. Et nulla alia detur dilatio, niſi iuſto impedimento probato, quod conſiſtit in cognitione, ſeu terminatione Domini Poteſtatis, ſeu Iudicum, aut officialium, qui de cauſa cognoſcerent, ſaluo, quòd ad reprobandum teſtes, vel inſtrumenta, vel alias probationes vna alia dilatio ſola, ſecundum quod Poteſtati, & officialibus conueniens apparebit, dari poſsit. Et Poteſtas, Iudices, ſeu officiales cognoſcentes de cauſa uinculo ſacramenti teneantur à tempore lapſus ultimæ dilationis quæſtionem, & cauſam quàm citius poterit, de eo expedire, & ſententialiter terminare.

De cauſis, & queſtionibus ciuilibus curiarum Coneglani per Poteſtatem committendis, & delegandis de voluntate partium.

QVia per ordinem datum ſuperius, oportet, ꝙ oẽs quæſtiones, & cauſæ à libris 50. ſupra terminẽtur per curiã Poteſtatis, &, vt ſatis comprehẽdi poteſt, curia prædicta in tantum erit his quæſtionibus occupata, ꝙ vix ad earum expeditionem poſsit ſufficiẽter intendere, & vtile ſit aliquod, quòd in hoc ſit decens remedium, reperire cum honore noſtro, & bono noſtrorum fidelium. Ordinatũ eſt, ꝙ ſi qua queſtio, vel cauſa, intelligendo de ciuilibus tãtum, cuiuſcũque ſummę, & quãtitatis exiſtat, fuerit tàm corã curia Poteſtatis, ꝗ coràm alijs officialibus, ſeu Iudicib. ciuitatis Coneglani, & partes petierint dictã cauſam cõmitti, & delegari aliquib. cognoſcendam, Poteſtas de voluntate partiũ poſsit ipſam cauſam, & queſt. cognoſcendam, & terminandam committere aliquibus in ciuitate Coneglani, vel extra ubi, vel quibus partibus videretur, ſi partes de delegandis eſſent concordes.

Si

Si verò non essent concordes, tunc partes ante omnia debeant, si voluerint, dare in scriptis omnes suspectos, & cõfidentes, & Potestas non posit aliquã causam committere, vel delegare, nisi illis, vel aliquibus ex illis, qui pro utraque parte pro confidentibus dati erunt, remanente in discretione Potestatis de dando, & asignãdo terminum huiusmodi delegatis, infra quem causas commissas, seu delegatas diffinisse teneantur, & similiter sit in eius arbitrio taxãdi eis salarium, quòd habere debent occasione laborum suorum, inspecta personarum, & negotiorum qualitate, saluo si partes de salario essent concordes. Et illud ꝙ per delegatos terminatũ fuerit, sententia censeatur.

Quòd Potestas teneatur confirmare, & se subscribere, & mandare executioni sententiam prolatam per delegatos.

SI verò de voluntate partium aliqua quæstio, vel causa uertens inter ipsas partes fuerit commissa, & delegata aliquibus, ut in ea cognoscere posint, & terminare de iure, & de facto, & per ipsos prolata fuerit sententia diffinitiua, Potestas Coneglani teneatur, & debeat ipsam sententiam confirmare, & approbare, & in ea se subscribere, & eam executioni mandare, quàm citius poterit, bona fide.

Quòd à sententijs, quæ feruntur per Potestatem appellari posit ad Auditores Communis Venetiarum.

AB omnibus alijs verò sententijs, quæ quandocunque per Potestatem ferẽtur, tàm à libris quadraginta infra, quàm ab inde supra ad Aduocatores communis Venetiarum debeat appellari, in quibus ipsi procedant iuxta ordinem sui officij, cum conditione, quòd pars, quę succumbet cadat de denarijs duodecim pro libra valoris eius, de quo fuerit appellatum, qui ueniant ad Aduocatores pro suis laboribus. Verùm quicunque voluerit à dictis sententijs appellare debeat interponere appellationẽ suam, & ipsam scribi facere apud acta vsque ad decem dies à die latę sententiæ computandos, & ipsam incipere prosequi vsque ad vnum mensem à die qua interposita fuerit appellatio numerandum, quod si non fecerit appellatio sua non audiatur ulterius ullo modo.

Quòd à sententijs delegatorum possit appellari ad Potestatem.

A Sententijs etiam per delegatos latis possit appellari ad Potestatem, & Potestas in ipsis terminare, & sententiare valeat, vt sibi videbitur fore iustũ, & à sua sententia possit appellari etiam postmodum ad Aduocatores communis Venetiarum.

Quòd non possit appellari à sententijs delegatorum de iure, & de facto.

SEd à sententijs latis per delegatos, qui cognoscere possunt de iure, & de facto, nec ad Potestatem, nec ad Aduocatores possit appellari.

Quòd interposita appellatione scripturæ, & acta quæstionis mittantur ad Auditores Communis.

ET ad cautelam committatur Potestati præsenti, & futuris Coneglani, quòd teneantur, & debeant de præsenti interposita appellatione ab aliqua sententia ad Auditores communis recuperare, & colligere omnes scripturas, & acta, quæ facta fuerint in quæstione, & ipsas sigillatas sub sigillo reponere, & conseruare, ita vt possint haberi, quotiescunque per Auditores fuerint requisitæ.

De mittendo executioni sententias.

VIso de appellationibus nunc de executionibus sententiarum vtiliter est videndum. Ordinatũ est ergo, quòd Potestas Coneglani, qui pro tempore fuerit, teneatur, & debeat omnes sententias latas tàm per ipsum, quàm per officiales, seu Iudices, & delegatos cuiuscunque summæ, & quantitatis existant mandare, & mandari facere executioni infra vnum mensem ad minus à die, qua sibi sententia fuerit præsentata bona fide sine fraude appellatione non obstante, cum ista tamen conditione, quòd si à sententia lata appellatio interponatur, ille, vel illi, in quorum fauorem lata fuerit sententia teneantur, & debeant dare bonam, idoneã, & sufficientem plezariam de restituendo id, quod per sententiam habuissent, etiam cũ perceptis fructibus, & prouentibus si res fuerint immobiles, si cognitum fuerit benè appellatum, & malè sententiatum extiterit cõtra eum.

Quòd

Quòd Potestas Coneglani possit super quolibet crimine per accusationem procedere.

CVm super ordine, & processu causarum ciuilium sufficienter sit in præcedentibus capitulis annotatum, uidendum est amodò, quid in criminalibus sit agendum. Equidem super factis criminalibus cum in illis casibus quilibet rationabiliter præponere, debeat diuinum iuditium menti suæ ordinatum est, quod Potestas per tempora posit de quolibet crimine, & excessu procedere per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem, & super dictis accusationibus, denũtiationibus, & inquisitionibus testes ex sui officij arbitrio recipere posit vnum, vel plures semel, & pluries, & in quocunq; tẽpore tàm ante citationem rei, quàm post, ut sibi uidebitur expedire, & super ipsis procedere debeat secundum formam Statutorũ communis Cõneglani, uel aliter semper formam suæ commissionis obseruando nihilominus. Et deductis processibus ad conclusionem determinet, & sententias proferat cõtra malefactores, & reos criminum secundum formam statutorum cõmunis Coneglani, quę de maleficiorum pœnis faciunt specialiter mentionem, obseruando semper, ut dictum est, formam suæ commissionis, & sicubi statuta communis Coneglani contra istam libertatem, quæ traditur Potestati, aliqualiter loquerentur, in illo casu pro reuocatis haberi debeant, & teneri.

Ordo tenendus in venditionibus possessiorum, & dationibus in solutum cum stridis.

CVm in uenditionibus possessionum in Ciuitate Coneglani, & districtu per retroacta tempora confusiuè sit processum, & multũ laudabile uideatur super ipso facto de cætero prouidere pro indemnitate quorumlibet conseruanda, ordinatum est in uenditionibus possessionum in ciuitate Coneglani, & districtu sic de cætero obseruari; uidelicet.

De eodem.

QVòd si quis in Ciuitate, vel districtu Coneglani voluerit vendere aliquam possessionem, vel possessiones suas, vel sibi relictas per commissionem, seu testamẽtum, seu alio quouis modo sibi pertinẽtes sitas in Ciuitate Coneglani, vel districtu, debeat adire præsentiam Potestatis, & data ei notitia, quòd talem possessionem, seu possessiones vendere velit, Potestas ad petitionem vendere volentis faciat æstimari possessionem, seu possessiones huiusmodi venales, si venditor non reperierit emptorem, sed si venditor emptorem inuenerit, & secum fuerit in concordia, in hoc casu non egeat æstimari, & tàm si fuerit æstimata, quàm non, debeat per præconem communis Coneglani die Dominico sequẽti stridari publicè in Platea communis Coneglani, & in Platea loci, & in Ecclesia, vbi fuerint possessiones, seu possessio situata, dicendo quomodo talis possessio, quæ in tali loco, infra tales confines, venalis est, & ꝙ per Potestatem est appreciata tantum, si fuerit appreciata, & ꝙ quicũque vult emere dictam possessionem, vel possessiones tàm illi de prole vendere volentis, intelligendo de prole vsque ad quartũ gradum inclusiuè, quàm laterani, & alij, & etiam si qui vellent dicere in ea aliquod ius habere, vel super ea aliquid dicere infra triginta dies postquam prima stridatio facta erit, debeât comparere coràm Domino Potestate, & dare ei notitiam quomodo velit dictam possessionem emere, vel velint cõtra ipsam dicere, & ius suũ prosequi. Et nihilominus similes stridationes fieri debeant in duabus sequentibus Dominicis in dictis locis, & per modum prædictum, dicendo semper, & faciendo mentionem, quando facta fuerit prima stridatio, & præco, qui eas fecerit, teneatur ipsas ordinare scribi facere ad curiam Potestatis.

Quòd propinqui venditorum secundum gradum prolis præferantur emptoribus ad emptionem possessionis vendendæ.

DAta itaque notitia Potestati, & factis stridationibus per modum dictum superius, si aliquis de prole vendentis cõparuerit

rit ad terminum, qui ipsam possessionẽ emere velit, detur, pro precio, quo fuerit æstimata, si æstimata fuerit, vel pro precio, quod venditor ab alio habere posset, vel pro eo precio, de quo fuerint in concordia, ipsi, vel ipsis de prole eam volentibus per istum modum, videlicet, qui prior erit in gradu etiam si sit in iure, intelligendo semper illos de prole vsque ad quartum gradũ inclusiuè, vt superius dictũ est. Si autem duo, vel plures de prole æqualis gradus vellent ipsam possessionem emere, & non possent ad inuicem concordare, ambo ad emptionem ipsam pariter admittantur.

Quòd laterani possessionis vendendę præferantur emptori secundum lateranitatis speciem.

ATtinentibus autem, cõsanguineis, & propinquis, seu illis de prole non comparentibus, si quis compareat lateranus possessionibus, seu possessioni prædictæ, qui velit eam emere, detur ei pro precio, quod ab alijs venditor habere posset, vel pro precio, de quo fuerit in concordia, intelligendo in isto casu, quod laterani, dũmodo non sint socij pro indiuiso, vel sub vno tecto in possessione venali, æquale ius, & eandem rationem habeant in facto emptionis prædictæ. Sed si quis foret lateranus, qui per indiuisum, vel sub vno tecto, vel compertura teneret, vel haberet possessionem venalem, intelligatur præferri alijs lateranis ad huiusmodi emptionem, & si plures forent socij, qui pro indiuiso, vel sub vno tecto, vel coopertura tenerent, vel haberent possessionem, ad emptionem ipsarum ueniant æqua lance. Intelligendo semper, quod supra dictum est, & infra dicetur de lateranis, in possessionibus sitis in Ciuitate Coneglani, seu in Castris, & Terris, & non in possessionibus sitis extra Ciuitatem Coneglani, seu Castra, & Terras.

Quòd non comparente propinquo, vel laterano, procedat venditio.

SI uerò nõ comparuerint, uel non fuerint de propinquis de prole, seu de lateranis, qui possessionem uelint emere, tunc ad petitionem uendere uolentis possessio detur alii extraneo, secundum quod fuerit appreciata, si appreciata fuerit, & si nõ fuerit appreciata, detur ei pro precio de quo fuerint in concordia.

De

De iuramento emptoris, & venditoris.

ET in casu quolibet prædictorum, in quibus uẽditio, & emptio sortiretur effectum, debeat Potestas iurari facere per sacramentum emptorem, & uenditorem, quòd ipsam uenditionẽ, & emptionem, faciunt animo uendendi, & emendi, & pro tanto, & tali precio exprimendo precium, & quòd ipsam faciunt bona fide, & non in fraudem aliquorum.

Priuilegium propinqui, & laterani absentis, vel impediti tempore primarum stridationum.

SEd si quis de propinquis de prole, seu de lateranis superius nominatis tempore primarum stridationũ fuerit absens, uel aliud iustum impedimentum habuerit, per quod ipse non potuerit comparere infra terminum triginta dierum assignatũ in stridis, possit, & debeat usque ad spatium duorum annorum à die factæ primę stridationis infra tamen triginta dies, postquam exinde habuerit notitiam, comparere per se, uel per alium coràm Domino Potestate, & si uoluerit possessionem, detur ei pro precio, quo æstimata fuerit, si fuerit æstimata, & si non fuerit æstimata, detur ei pro precio, quod ab aliis uenditor habere posset, uel pro precio de quo fuerint in concordia constante ante omnia, quod talis propinquus, uel lateranus absens fuerit, uel aliud iustum impedimentum habuerit tẽpore stridationum. Intelligendo, quòd in omni casu propinquus de proximiori gradu præferatur aliis propinquis, & lateranis, ut superius dictum est, & alii propinqui, & laterani præferãtur secundum eorum gradus, ut in præcedentibus capitulis est notatum.

Quòd comparenti super stridis fiat ratio.

VErum si compareat aliquis ad terminum, qui uelit super ipsa possessione ius petere, uel contra emptorem, uel uẽditorem aliquid dicere prosequatur ius suum coràm Domino Potestate, & si cognitum fuerit ipsum ius habere nõ procedat uenditio, sed fiat ei ratio, ut est iustum. Sed si quis nõ comparuerit, uel comparuerit, & co-

cognitum fuerit non habere ius, procedat venditio in ordine infrascripto.

Quòd venditiones non sint firmæ vsque ad duos annos à die primæ stridæ numerandos.

SI autem quis allegare potuerit iustam causam absentiæ, vel alterius impedimenti, propter quod non potuisset comparere ad dicendum de iure suo infra terminum, vt omnibus sua ratio conseruetur, ordinatum est, quòd venditiones huiusmodi non sint firmæ, nec robur obtineant vsque ad duos annos à die primæ stridationis continuè numerandos, in quo tempore omnes volentes contradicere venditioni, vel dicere ius habere in possessione, etiam elapso termino triginta dierum audiatur cum conditione, quòd comparere teneantur infra triginta dies postquàm sciuerint se ius habere in possessione, & de hoc à talibus comparentibus debeat accipi sacramentum, & si cognitum fuerit eum, vel eos ius habere, non procedat venditio, sed fiat ei ratio, vt iustum est.

De modo seruando in fine duorum annorum à die primæ stridationis numerandorum.

ET si vsque ad dictum tempus duorum annorum nemo comparuerit, qui contradicere velit, vel comparuerit, sed cognitũ fuerit ipsum ius non habere, tunc procedat, & valeat venditio in hunc modum, videlicet, quòd appropinquante termino duorum annorũ per triginta dies ante complementum ipsorum prima die Dominica sequẽti fieri debeat stridatio in Platea communis Coneglani, & in Platea, & in Ecclesia loci vbi situata erit possessio, quomodo talis possessio vendita est, & quòd terminus duorum annorum complet tali die, faciendo mẽtionem de die, & quod si quis vult aliquid dicere, vel allegare de iure suo, comparere debeat coràm Domino Potestate ante complementum duorum annorum, & iterum fiant aliæ duæ stridationes in duabus diebus Dominicis sequentibus in locis, & per modum prædictum, faciendo semper mentionem de prima stridatione, & dicendo in qualibet stridatione, quòd si quis non comparuerit emptor habebit ipsam possessionem, firmam, &

suam,

suam, & non audietur amplius requisitio alicuius, & teneatur ipse praeco scribi facere dictas stridationes per ordinem ad curiam Potestatis, sicut de alijs dictum est.

Quòd propinqui praeferantur differentialiter secundum sexum vendentis.

ET quod supradictum est de venditionibus possessionũ, intelligatur, quòd si venditio facta fuerit per masculum, mares de prole praeponi debeat mulieribus, secundũ ordines datos superius, si vero venditio fieret per mulierem veniant mares, & foeminae secundum eorum gradus aequaliter ad emptionem cum ordinibus supradictis.

Quòd praeferantur descendentes, ascendentibus, & collateralibus.

INsuper illud, quòd supradictũ est, q̃ illi de prole aliis praeponantur secundum eorum gradus, intelligatur, quòd illi de prole de linea descendenti praeferantur in omni casu illis de linea ascendẽti, & collaterali, & quòd illi de linea ascendenti similiter in omni casu collateralibus praeponantur.

Quòd fiat ratio comparenti ante terminum duorum annorum, & iustitiam confouenti.

ET si quis antè complementum termini duorum annorum comparuerit audiatur cum ordinibus supradictis, & quòd si fuerit cognitum ipsum iustitiam confouere, non procedat venditio, sed fiat ei ratio. Si verò quis non comparuerit, vel comparuerit, sed cognitum fuerit ipsum non habere ius, venditio sit firma, & valida, & emptor possessionem liberam, & expeditam habeat pleno iure. Nec ab inde in antea posit amplius quis audiri, & ad maiorem rei firmitatẽ fiat ei per curiam Potestatis quaedam charta notitiaria publica in notitia venditionis ipsius, in qua contineantur omnia actitata dicendo etiam quomodo Potestas eũ redit de dicta possessione securum, & Potestas in ea se subscribere teneatur, & exemplum ipsius chartae registrari debeat in Cancellaria communis.

De

De fideiussione per venditorem præstanda emptori de restituendo ei pretium si infra tempus duorum annorum euinceretur, possessio.

ET quia si foret possibile, q emptor ante complementũ dictorũ terminorum solueret possessionem uenditori, & acciperet tenutam ipsius, ordinatum est, quòd ad omne periculum euitandũ, quòd in hoc casu venditor teneatur dare bonam, & sufficientẽ plezariam de restituendo pretiũ emptori, si infra tempus, & terminũ ordinatum possessionem sibi euinci contigerit per quemcunque, saluo semper, si aliter forent in concordia, seu pacto.

Quòd in collatione possessionum, quas vendi contigerit per incantũ, obseruetur idem processus, qui in venditione posset, obseruari.

ET omnia, & singula capitula supradicta de venditionibus possessionũ habeant locũ, & obseruentur in possessionibus, quas uendi contigerit per incantũ quauis occasione, vel modo, & quòd idem processus, & idem terminus obseruetur in collatione ipsorum & q sicut creditori data fuerit aliqua possessio insolutum, & ipse acceperit tenutam, & possessionem ipsius ante terminos supradictos, teneatur, si quis compareret ad terminos, qui potiora iura monstraret, restituere ei possessionem, ut de emptoribus dictum est.

De fideiussione per uenditorem præstanda emptori de restituendo pecuniam acceptam, si ante terminum duorum annorum possessio euinceretur.

ET si occasione alicuius debiti, uel debitorum uendi contigerit ad incantum possessionem alicuius, & aliquis ea emerit, & pecunia, seu precium ipsius, uel pars data fuerit insolutum creditori, teneatur talis creditor, qui pecuniã recepisset, uel partem, dare sufficientem, & idoneam plezariam de restituendo pecuniam receptã emptori, si ante terminum duorum annorum euinceretur possessio ab emptore, & si propter euictionem secutam creditor restitueret pecuniam emptori, remaneant sua iura in pristino statu contra debitorem.

Quòd

Quòd Poteſtas inquirat de titulo, & iure, quod volens vendere habet in poſſeſſione.

AD hoc autem, vt venditiones ſine ſuſpectione omni procedant, debeat Poteſtas ſtatim data ſibi notitia per vendere volentem de poſſeſsione venali diligenter inquirere, & ſcire de iure, & titulo, quod talis vendere uolens habet in poſſeſsione prædicta, quo facto procedat, & procedi faciat ſecundum quod in ſupraſcriptis capitulis continetur.

Quòd aſſignetur de poſſeſſionibus venditoris pars decens pro dote eius vxoris poſtmodum non alienanda.

CAeterum, cùm imbecillitati mulierum ſit vijs omnibus rationabilibus ſuccurrẽdum, ordinatum eſt, ꝙ in caſibus prædictis uenditionum poſſeſsionum, per quemcunque modum poſſeſsio uẽdi contingeret, ante omnia, cum Poteſtas habuerit notitiam, quòd poſſeſsio uelit, uel debeat uendi, teneatur ipſe Poteſtas diligẽter inquirere, & inquiri facere, ſi poſſeſsio uenalis eſt obligata alicui doti, uel dotibus mulierum, uxoris, uel nurus uendentis, ſeu pro aliqua alia dote obligata: & ſi reperiret ipſam, uel ipſas obligatam fore, debeat ſuper dicta poſſeſsione uenditoris, uel ſuper alijs poſſeſsionibus ipſius, ſi alias habuerit, aſsignare partem decentem pro ipſa dote, uel dotibus ad quas fuerit obligata, & de iſta aſsignatione fiãt ſtridationes, ut dictum eſt in uenditionibus poſſeſsionum. Et quòd bona huiuſmodi aſsignata nullo modo poſsint alienari, donari, uel uendi. Et quòd emptor, qui poſſeſsionem emerit, non poſsit habere poſſeſsionem liberam, & quietam, niſi facta aſsignatione prędicta, de qua fieri debeat charta notitiaria in publicam formam per curiam Poteſtatis, in qua Poteſtas ſimiliter ſe ſubſcribat. Et quòd iſta charta debeat in Cancellaria Communis conſeruari, ita, quòd mulier, quoties ſibi fuerit opportunum, ipſam habere poſsit, & iſtę chartæ regiſtrentur in dicta Cancellaria, ita, quòd reperiri poſsit exemplum earum, ſi foret aliqualiter opportunum.

Quòd

Quòd mulier coniugata in potestate viri existens non possit ullo modo obligare in præiuditium suæ repromissæ.

Andreas Dandulo, Dei gratia, Dux Venetiarum, Dalmatiæ, ac Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidiæ totius Imperij Romaniæ. Nobili, & sapienti viro Nicolao de Priolis de suo mandato Potestati, & Capitaneo Taruisij fideli dilecto salutẽ, & dilectionis affectum. Significamus vobis, quòd de præsenti millesimo de 42. die 11. mensis Decembris in nostris Consilijs minore Rogatorum, & Quadraginta capta, & firmata fuit pars infrascripti tenoris, quam auctoritate dictorum Consiliorum vobis scribimus, & mandamus, vt debeatis inuiolabiliter obseruare, & obseruari facere, Tenor eius per omnia talis est, Cum periculosis, & dubijs casibus sit remedijs salubribus obuiandum, & vt notorium esse potest in Ciuitate Taruisij, & districtu hactenus extitit obseruatum, quòd mulieres coniugatæ in potestate virorũ existentes propter earum fragilitatem eximiam ad maritorum instãtiam, vel aliter, obligant dotes suas, seu repromissas, & alienationi, & venditioni bonorum suorum consensus faciliter exhibent in earum præiuditium manifestum, captum fuit, quòd ordinetur de cætero inuiolabiliter obseruari, videlicet,

Quòd aliqua mulier coniugata, seu in potestate viri existens in Ciuitate Taruisij, & districtu non possit, nec debeat vllo modo obligare, alienare, donare, transactare, renuntiare, vel sacramentum facere, nec alio quouis modo contrahere in præiuditium, siue damnum suæ repromissæ, seu aliorum bonorum suorum, quę pro repromissa tenentur, vel per hæreditatem, legatum, aut fideicommissum sibi aduenissent, quæ bona in potestatem virorum deuenissent, vel existerent quouis modo, & quòd nulla obligatio, alienatio, donatio, transactio, renuntiatio, sacramentum, seu alius quiuis contractus factus contra prædicta non valeat, nec teneat, sed sit nullius efficaciæ, & valoris.

Verum in consensibus, renũtiationibus, alienationibus, obligationibus, vẽditionibus, & alijs contractibus hactenus factis obseruet,

R quod

quòd hucuſque ſeruatum eſt ſecundũ conſuetudinem Ciuitatis Coneglani.

Data in noſtro Ducali Palatio die 8. Febrarij xj. Indictione.

De Bannitis.

CAptum eſt, quod cum per plures Ambaſciatores, & literas miſſas Dominio per Poteſtatem Coneglani, & alios Rectores Cenetenſis, multi banniti de Coneglano, & diſtrictu, & Ceneta quotidie veniãt in Terras noſtri Ducatus à Grado ad Campaggiũ quib. non ſufficit feciſſe multa maleficia, ſed potius recurrunt ad partes Coneglani, & Cenetæ prædictas committendo quandocunque peiora prioribus, & redierint in dictas Terras noſtras, vbi ſunt, & morantur ſecuri, quòd quippe eſt contra honorem noſtrum, & bonum ſtatum. Vadit pars ad obuiandum eorũ nequitijs, quod ſi quis de cetero bannitus de Coneglano, & diſtrictu, vel de cetero bãniretur pro maleficio, vel delicto, per quod pati deberet pœnam perſonalẽ venerit ad Terras noſtri Ducatus, & poſtea præſumpſerit ullo modo durante banno redire, ſeu ire quoquomodo in Coneglano, ſeu Ceneta, & vbi iterum commiſerit aliquam percuſsionem cum ſanguine, vel homicidium, furtum, incendium, robariam, vel violentiam, ſi conſtiterit Dominio ita eſſe, debeat in quacunque parte noſtri Ducatus vbi poſtmodum fuerit repertus detineri, & mitti Rectoribus, in quorum bãno fuerit, vt de ipſo faciant iuſtitiam ſecundum eius exceſſum, Nam per iſtum modum auferetur eis audacia, & via delinquendi, & per conſequens Terræ noſtræ, quæ multum infeſtantur ab huiuſmodi maleficijs remanebunt ſecuræ pariter, & quietæ.

Quòd venientes ad habitandum in diſtrictu Coneglani ſint liberi ab omnibus factionibus vſque ad quinque annos.

CAptum eſt primò, quòd publicè proclametur in Ciuitate Coneglani, & diſtrictu, ſicut aliàs ordinatum extitit, & proclamatum,

tum, ꝙ omnes volentes laborare terram venientes ad habitandum in districtu Coneglani sint franchi liberi, & absoluti ab omnibus, & singulis oneribus, & factionib. realibus, & personalibus, & mixtis vsque ad quinque annos computandos à die qua venerint ad habitandum, & laborandum, dumtamen veniant vsque ad tres annos à die proclamationis, & stando continuè per quinquennium in Ciuitate Coneglani, & districtu, excepto quàm de datijs, & eadem immunitate gaudeant omnes forenses venientes ad habitandum in Ciuitate Coneglani.

De eodem.

ITem, ꝙ aliquis de prædictis molestari, vel conueniri non possit coram Potestate Coneglani, vel alijs nostris Rectoribus, vel officialibus eorum pro aliquibus obligationibus, & causis vsq; ad dictum terminum quinque annorum, præterquam de debitis continuatis per eos à tempore quo venerint ad habitandum in Ciuitate Coneglani, & districtu, & hoc si dicti venientes recesserint de locis vbi similiter seruetur. Non intelligendo in ijs obligationes, vel debita, quibus tenerentur nostris Venetis, vel quæ factæ forent Venetis, pro quibus possint conueniri non obstante constitutione prædicta.

Quòd banniti tempore Dominorum de la Scala habentes cartam pacis ab offensoribus possint venire ad habitandum in Ciuitate Coneglani.

ITem, ꝙ dicti banniti Ciuitatis Coneglani, & districtus tempore Dominorum de la Scala, & antequam forent banniti pro contumacia, & non esset probatum delictum, habentes cartam pacis ab offensoribus, & hæredibus offensorum, possint, & valeant liberè venire ad habitandum in Ciuitate Coneglani, & districtu vsque ad vnum annum, sustinendo onera, & factiones Communis Coneglani, & teneantur stare, & habitare cum familijs, & massaritijs in Ciuitate Coneglani, vel districtu vsque ad quinque annos computandos à tempore quo venerint solum. Et si infra dictum tempus cum familia, & massaritijs recederent, quòd reducantur, & reducti esse intelligantur in statu quo erant antequam venirent.

De conducendo, & portando blada omnis maneriei Coneglani ex districtu Asili, Castri Franci, Oppitergij, & Mestris cum licentia Rectorum.

ITem, quòd committatur Potestatibus Castrifranci, Asili, Oppitergij, & Mestris, quod deputatis primò bladis pro munitionibus Castrorum, quòd teneātur fecisse, scilicet, munitiones fructuū per totum mensem Augusti, & munitiones per totum mensem Octobris cuilibet personæ petenti concedere licentiam emēdi, & extrahendi de suis districtibus pro portando ad Ciuitatē Coneglani blada omnis maneriei, quam licentiam, & bullettam dedisse teneātur die qua fuerint requisiti sub pœna librarū centum pro quolibet cōtrafaciente, et qualibet uice, quam exigant Aduocati Communis habentes partem vt de alijs pœnis officij sui. Ita tamen, quod portātes dicta blada debeant habere bullettam Rectorum unde ipsa extraxerint, et teneantur reducere, uel reduci facere contralitteras à Potestate Coneglani vsque ad dies quindecim sub pœna librarū quinquaginta paruorum pro quolibet, et qualibet uice, et non possit accipi de dictis litteris, & contraliteris tam pro scriptura, & sigillo inter totum ultra unum soldum pro quolibet, & prædicta durent per vnum annum proximum, in fine cuius ueniret ad istud Consilium, & fiet sicut uidebitur.

Quòd nemo possit propter contumaciam diffinitiuè condemnari, nisi pœna mortis veniat irroganda.

ITem, quòd Statutum positum in libro Statutorum Coneglani continens, quod accusati, vel contra quos per inquisitionē esset processum pro quolibet delicto citati, & non comparentes habeantur pro confessis, & per contumaciam condemnentur, & ponantur in banno. Corrigatur in hunc modum, quòd in delictis ex quibus mortis pœna veniat irroganda non debeat aliquis per contumaciam diffinitiuè condemnari, sed Rectores teneantur facta accusatione, vel inquisitione, & citatione sequuta diligenter inquirere de delicto, & omnes probationes in scriptis, redigi facere,

cere,& quandocunque venerint in fortiam dominationis personaliter procedatur contra ipsos, ita tamen, quòd post terminũ statim cridantur ad comparendum. Intelligantur esse, etiam sint in banno Ciuitatis,& districtus Coneglani donec venerint, vt dictum est, in fortiam dominationis,& nullæ defensiones, probationes, vel testificationes recipi possint in fauorem eorum elapso termino supradicto modo aliquo, siue forma.

De equis ab armis non exportandis de stristu Rectorum Coneglani sine licentia Dominationis Ducalis.

ITem, quòd nullus equus ab armis, vel qui aptaretur ad arma, de cætero permittatur modo aliquo extrahi de strictu Rectorũ Coneglani sine licentia Dominationis Ducalis.

Quòd Rectores Coneglani deputent vnam sufficientem personam ad sigillandum bottas vini, quæ carriabuntur pro veniendo Venetias.

ITem, ꝙ Rectores Coneglani de cætero debeant deputare vnam sufficientem personam ad sigillãdum omnes bottas vini, quę ibi carrizabunt pro veniendo Venetias sigillo proprio Potestatis, post quam sigillationem non possit vinum amplius carrizari in illo nauigio sub pœna perdendi totum vinum vltra receptum, quod habeatur pro contra banno,& Rectores scribant officii numerum bottarum, ac quantitatem vini secundum æstimationem, quæ fiet accipientes plezariam à conductoribus de conducendo ipsum vinum Venetias, & officiales datii vini diligenter inquirant si integrè uinum ipsum fuit adductum,& sigillatum cum ordine supradicto, & si inueniretur carrizatũ ultra bottas sigillatas illud perdatur, de quo Rectores, seu custodes inuenientes habeant tertium, accusator tertium si fuerit, & reliquum sit Communis, & similiter officiales datii uini si inuenerint, habere debeant partem, & Rectores faciant prædicta in suis regiminibus proclamari, ne ullus ualeat per ignorantiam se excusare.

ANTONIVS VENERIO, Dei gratia, Dux Venetiarũ, &c. Nobili, & sapienti viro Ioanne Miani de suo mandato Potestati, & Capitaneo, &c. fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum. Mittimus vobis inclusas præsentibus quasdam partes captas in nostris Cõsilijs minorum rogatorum, & quadraginta, ac additionis super Prouisionibus, & Constitutionibus Ducalibus, Mandantes vobis cum dictis nostris Consilijs quatenus prædictas partes in quantum ad vos spectat obseruetis, & faciatis inuiolabiliter obseruari, facientes ipsas in Cancellaria vestri regiminis ad suam ad quę spectant in futurum memoriam registrari, ac mittentes eas in scriptis omnibus alijs nostris Rectoribus Taruisinę, & Cenetensis, vt eas debeant similiter obseruare, & facere in suis regiminibus obseruari.

Data in nostro Ducali Palatio die xvj. Maij. Indict. iiij. 1396. die 7. capta in rogatis.

De inquirendo per Potestatem si possessio venalis erit conditionata per aliquod testamentum.

QVia in Constitutionibus Ducalibus continetur, quòd in venditione possessionũ Potestas Coneglani teneatur, & debeat inquirere, & scire de iure, & titulo vẽditionis in possessione, & si possessio venalis est obligata alicui doti, & de possessionib. cõditionatis per testamentum nulla fit mentio, ex quo multi errores quotidie sequuntur. Vadit pars, quòd addatur dictæ constitutioni, quòd quandocunque aliqua possessio vendetur, vel alienabitur per aliquem, quòd Potestas Coneglani teneatur, & debeat antequam rogetur instrumentum venditionis alicuius possessionis tàm cum stridis, quàm sine stridis diligenter inquirere, & inuestigare si dicta possessio venalis erit conditionata per aliquod testamentum, & superinde seruare, & facere prout de dotibus ordinatum est.

De registratione Instrumentorum.

CVm in Prouisionibus Ducalibus 1376. Indict. 14. die 2. Decembris in Consilio Rogatorum inter alia captum fuerit, & prouisum

prouisum, quòd Notarii, qui cum fecerint instrumenta dotium, & testamentorum teneantur infra certum tempus ipsa instrumēta dotium, & testamentorum in publicam formam redigisse, & quòd dicta instrumenta dotium, & testamentorum nullius vigoris sint, nisi primo registrata fuerint in Cancellaria noua per vnum ex quatuor Notariis dictæ Cancellariæ, & subscriptum, siuè vicedominatū in fine testamenti, & instrumenti dotis manu propria vnius ex dictis quatuor Notariis, &c. quod quidem valde est enorme, & displicibile, & in damnum illorum, qui non sunt in aliqua culpa de hoc, dicere, videlicet, quòd ex defectu Notariorum, qui fuerint negligentes ad registrandum, & vicedominandum dicta instrumenta, ipsa instrumenta esse debeāt nullius valoris, vel vigoris, & necessarium sit superinde prouidere. Vadit pars, quòd illa verba, quæ continent, quòd dicta instrumenta dotium, & testamentorum nullius vigoris sint, pœnitus remoueantur, & cancellentur, & addatur, quòd nihilominus sint firma, & valida, sed ille Notarius, vel Notarii, qui non registrauerint, & uicedominauerint ipsa instrumenta dotium, & testamentorum usque, uel infra tempus ordinatum, cadant ad pœnas ordinatas, & sicut dicti Notarii tenētur registrare instrumentā testamentorum, & dotium. Ita teneantur, & debeant similiter, & sub dictis pœnis registrare omnes ultimas uoluntates, & instrumenta augumentorum dotium.

De eodem.

ITem, q pro bono, & utilitate omnium ordinetur, q in omnibus locis nostris Coneglani per Cancellarios, siue Not. Rectorū nostrorum debeant registrari in Cancellariis dictorum locorū in uno quaterno de pergameno ad hoc specialiter deputato omnia instrumenta dotium, & testamenta, & omnia alia instrumenta, & similiter omnes alios actus criminales in uno alio quaterno, qui registrantur in Coneglano, & per eum modum, & ordinem quibus registrantur in Potestaria Coneglani.

Quòd in qualibet quæstione quilibet ad quem factum pertinebit possit esse præsens quando quæstio placitabitur.

CVm in Constitutionibus Ducalibus contineatur, quòd clientulus non posſit eſſe præſens quando aliquis pro eo placitat, quod eſt inconueniens, quòd perſonæ in facto ſuo proprio nō poſſint eſſe præſentes. Vadit pars, quòd Conſtitutio corrigatur, quòd in qualibet quæſtione quilibet ad quem factum pertinebit, & ſpectabit poſsit eſſe præſens quando quæſtio placitabitur, et quotienſcunque de ipſa quæſtione agetur.

De solutionibus Procuratorum.

CVm in aliquibus Conſtitutionibus Ducalibus non reperiatur quòd in quęſtionibus ſalarium ſit limitatum Procuratoribus, ſcilicet, Aduocatis, & propter hoc quandoque fit per vnū modum quandoque per alium. Vadit pars, vt omnes ſe intelligant, quòd Procurator cuiuſcunque quæſtionis habeat, & habere debeat ſolū medietatem eius, quod taxatum eſt, & habere debet vnus Aduocatus ipſius quæſtionis, quia multò minus laborat Procurator, quàm Aduocatus, vt omnibus notum eſt.

ANTONIVS VENERIO, Dei gratia, Dux Venetiarū, &c. Nobili, & ſapienti viro Ludouico Mauroceno de ſuo mādato Poteſtati Coneglani fideli dilecto ſalutē, & dilectionis affectū. Significamus vobis, ꝙ in 1396. die 8. Menſis Iunij captę fuerunt in noſtris Conſilijs minori rogatorum Quadraginta, & Zuntæ quædā partes contentæ in cedula, præſentibus intercluſa, Quare mandamus vobis quatenus ipſas partes in quantum ad vos ſpectat obſeruatis, & faciatis inuiolabiliter obſeruari, facientes ipſas in Cancellaria veſtri regiminis ad futurorum memoriam regiſtrari. Data in noſtro Ducali Palatio die 2. Auguſti.

Tenor dictæ cedulæ talis eſt, vt ſupra.

Quòd

Quòd Rectores Coneglani non debeant dormire extra Ciuitatem Coneglani, & aliorum locorum.

CVM in omni tempore sit habenda prouisio, quòd Ciuitas, Castra loca sint secura, & conseruentur ad honorem nostrum. Vadit pars, q addatur in commissionibus Potestatis, & Capitanei nostri Coneglani præsentis, & futurorum, quòd nullo modo de nocte debeant dormire, nec stare extra Ciuitatem Coneglani, & similiter addatur in commissione omnium aliorum nostrorum Rectorum Coneglani, & Cenetensis, in quibus non est.

Quòd cum licentia nostrorum Rectorum possit extrahi equos pretij ducatorum viginti, vel inde infra.

CVm in commissione Rectorum nostrorum Coneglani contineatur, quòd sine nostra licentia non permittant de suis regiminibus extrahi aliquem equum, seu polerium à tribus annis infra &c. sub certis pœnis, Vadit pars, q attenta conditione tẽporis præsentis elargetur, quòd possint extrahi de prædictis equis, seu polerijs, qui sint pretij Ducatorum viginti, vel inde infra cum licentia nostrorum Rectorum soluendo mudas, & datia ordinata.

De Bulletta volentis conducere aliquam rem Venetias.

QVòd committatur omnibus nostris Rectoribus Coneglani, & Cenetensis, q quilibet cuiuscunq; conditionis existat volens conducere aliquã rem Venetias, vel de vno loco ad aliũ Coneglani, & Cenetensis, quẽ locum sibi commiss. & habuerit bullettam Rectoris loci, in quo, vel de quo extraxerit dictã rem, & contingerit ipsam transire per territorium Ciuitatis Coneglani, & Cenetensis, non debeat constringi, nec cogi ad capiendam aliquam bullettam, quàm illam, quam habuerit primò, exceptis in locis, in quibus dictæ tales res soluerent pedagia, vel gabellas, & ille Rector, qui contrafecerit cadat ad pœnam reficiendi damnum, quod propterea occurrisset.

Quòd

Quòd quilibet conducens saluaticinas, & aues de Coneglano Venetias non cogatur ad bullettam.

CVm aliqui conducentes de saluaticinis, & auibus de rapina de Coneglano Venetias cogantur ad accipiendum bullettas, & ad soluendum pro ipsis bullettis, quod est malefactum. Vadit pars, quòd de cætero quilibet conducens Venetias de Coneglano saluaticinas, vel aues, aut cestos fructuum, vel aliqua alia de quibus non soluitur datium, non debeat, nec cogatur ad accipiendum aliquam bullettam, nec ad soluendum aliquid pro dicta causa, sed liberè absque aliqua bulletta, vel impedimento possit venire, & conducere dictas res Venetias. Et hoc mittatur omnibus nostris Rectoribus Coneglani, & Cenetensis, quòd sic debeant inuiolabiliter obseruare.

De solutione officialium Coneglani, & Cenetensis pro bullando vascellos vini, quod conducendum est Venetias.

